



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**






N. I  
46.

Th. 4919.











Handwritten text, likely a library stamp or inventory record, in a cursive script. The text is faint and difficult to decipher but appears to contain several lines of information.



Ex Legato Celsi Principis Ferdin:  
Epi Paderb: et Almagier:  
Anno 1683.



ORIGINES  
BENEDICTINÆ,

*Sive*

ILLVSTRIVM COENOBIO-  
RVM ORD.S.BENEDICTI,NIGRO-  
RVM MONACHORVM,

PER ITALIAM, HISPANIAM, GAL-  
liam, Germaniam, Poloniam, Belgium, Britan-  
niam, aliasque Prouin-  
cias.

EXORDIA AC PROGRESSVS.

AVBERTVS MIRAEVS Brûxellensis, S.  
Theologiæ Licentiatus, Canonicus & Sigillifer  
Antwerp. eruendo Publi-  
cabat.

*Collegij S. Iosephi Paderb.*



COLONIÆ AGRIPPINÆ,  
Sumptibus Bernardi Gualtheri.

ANNO M. DC. XIV.







A M P L I S S I M O

&

R E V E R E N D O

A D M O D V M

P R A E S V L I

D. P H I L I P P O

C A V E R E L L I O,

I L L V S T R I S S I M I M O-

*nasterij Vedaſtini, in vrbe At-*

*rebatenſi, apud Arte-*

*ſios,*

A B B A T I M E R I T I S S I M O.



Eligioſę vitæ Statum,

ab ipſo C H R I S T O

Saluatore noſtro, at-

que in ipſis primum

Apoſtolis, inſtitutum fuiſſe, ne-

mo antiquitatum Eccleſiaſtica-

rum vel mediocriter peritus i-

gnorat. Eam viuendi formulam

(.·.·)

2

à Chri.



à Christo acceptam *Apostoli* primæuæ mox Ecclesiæ impresse-  
runt. De qua, in *Actis Aposto-*  
*lorum* sic scriptum legimus:

*Act. 4. 32.*

*Multitudinis credentium erat cor  
vnum, & anima vna, neq; quisquam  
eorum, quæ possidebat, aliquid suum  
esse dicebat, sed erant illis omnia cō-  
munia. Quotquot enim possessiones  
agrorum, aut domorum erant, ven-  
dentes adferebant pretia eorum, quæ  
vendeabant, & ponebant ante pedes  
Apostolorum. Diuidebatur autem sin-  
gulis, prout cuique opus erat.*

Rectè igitur de primo illo  
Christianismi sæculo Hieroni-  
mus: *Talis primò credentium fuit  
Ecclesia qualis nunc monachi esse ni-  
tuntur & cupiunt. Vt nihil vsquam  
propriū sit, nullus inter eos diues, nul-  
lus pauper, patrimonia egētibus diui-*

*dan*



DEDICATORIA.

dantur, orationi vacetur & psalmis,  
doctrinaeque & continentiae; quales  
& Lucas refert primū Hierosolymis  
fuisse credentes. Ipsius modi insti-  
tuti & Alexandriae in Aegypto  
princeps atq; antesignanus fuit  
Marcus Euangelista, vt Cassia-  
nus lib. 2. cap. 5. & Hieronymus  
in Marci vita commemorant.

Neque tamen Hierosolymis  
tantum, aut Alexandriae, perfe-  
ctior, atque à tumultu populari  
seductior illa viuendi ratio con-  
stitit, sed iisdem ipsis tempori-  
bus, per alias quoque terrarum  
partes est propagata. Sic in Ethi-  
opia Regis filiam à Matthæo;  
in Græcia Theclam protomarty-  
rem à Paulo gentium Doctore;  
Romæ Domitillam à Clemente Pa-  
pa legimus Deo fuisse conse-



cratam. Sic in Gallia tradunt *Martham* Christi Saluatoris hospitam agro in Massiliensi loco solitario sibi & alijs aliquot honestissimis feminis Deo dicatis, coenobium construxisse.

Religiosum porro istud vitæ genus, anno ferè salutis trecentesimo, quinquagesimo, mirificè creuit ac floruit, aureo nimirum Constantini gloriosissimi Imperatoris æuo, cum Dei Ecclesia hætenus à tyrannis oppressa, caput primùm extulit. Huius tanti incrementi magnus ille *Antonius* auctor, duxq; exstitit; qui Armeniam, Scythiam, Nitriam, vtramq; Thebaidem, totam deniq; Aegyptum monasterijs impleuit. Antonij discipulus *Hilarion*, primus in  
Pale-



Palestina, teste Hieronymo cœnobia fundauit, cum antea in Syria tota numquam monachus fuisset.

Eodem ferè tempore *Basilius* Cæsareæ Episcopus, in Græcia floruit; qui monasterijs per Orientem passim exstructis, ita monachorum institutum legibus ac disciplina temperauit, vt solitariae atque actuosæ vitæ utilitates, præclarè simul coniungeret. Adeo quidem, vt non modò Græciæ sed vniuersi Orientis monachi, hodieque viuant ex vnus Basilij præscripto ac regulis.

Transeamus in Occidentem, ne quis fortasse nobilissimam eam orbis partem ista laude caruisse existimet. Augustinus cer-



tè scribit Mediolani, vidisse le  
monasterium *Ambrosio*, vt ait,  
*nutritore*; & ipse Augustinus in  
Africa, vt Possidonius narrat,  
virorum ac virginum monaste-  
ria fundauit.

In Breuiario Romano diser-  
tè legitur, *Augustinum*, cum à  
*Valerio Episcopo Hipponensi presby-*  
*ter factus esset*, familiam Religioso-  
rum instituisse: quibuscum victu  
communi, eodemque cultu vtens; eos  
ad Apostolicæ vitæ doctrinæque di-  
sciplinam diligentissimè erudiebat.

*His initijs fundatus Religiosæ*  
vitæ status, per S. *Benedictum* na-  
tione Italum, patriâ Nursinū,  
in immensum, qua Occidenta-  
lis patet Ecclesia, auctus est ac  
propagatus: vt iure meritissi-  
mo, *Benedictus monachorum in Oc-*  
*cidente*



DEDICATORIA.

*cidente Pater ac Patriarcha nuncupetur. Cum namque circa annum Christi quingentesimum vigesimum in monte Cassino, Ordinis sui monastici fundamenta iecisset, multis ad eum quotidie discipulis confluentibus, duodecim monasteria, momento ferè temporis, excitauit; & per S. Maurum in Galliam, per S. Placidum in Siciliam, & aliò per alios, varias colonias deduxit. At hæc regulam scripsit, quæ hodieque viget, tanta Sapientia, vt Gregorius Magnus, eam dixerit esse discretionem præcipuam, sermone luculentam.*

Itaque vt S. Basilium Orientalis Ecclesia, Sic nostra Occidentalis S. Benedictum tanquam monastici instituti auctorem ac



parentem meritò veneratur. Ex hac autem vna quasi radice varię postea variarum familiarum propagines profluxerunt; quę S. Benedicti regulam sunt amplexę; vt Ordo *Cluniacensis*, *Carmaldulensis*, *Vallis Vmbrosę*, *Cisterciensis*, *Montis Virginis*, *Cælestinorū*, *Montis Oliueti*, *Claromontensis*, *Fontis Ebraldi*, *Siluestrinorū*, & alij Ordinis Religiosi. De singulis dicere, longum esset atque im-  
 mensum; Suffecerit de illustrioribus per orbem Christianum Abbatij nigrorum, vt vocant Ordinis S. Benedicti monachorum, deq; earundē Originibus nunc differere. Quod opus, ex omnium penē gentium historijs, ex publicis cœnobiorum tabularijs, priuatisque amico-  
 rum



DEDICATORIA.

rum bibliothecis Studiosè à me  
collectum, Tibi, AMPLISSI-  
ME PRÆSVL lubens, me-  
ritò, do, dico, consecro. Tibi, in-  
quam, qui nobilissimæ inter  
Belgicas Abbatia summa cum  
laude præsides, & eruditos ho-  
mines tanto fauore ac liberali-  
tate prosequeris, vt BELGICI  
MECÆNATIS nomen ac  
titulum apud posteros haut du-  
biè sis obtenturus. Plura nunc  
addo: vnum opto ac voueo, vt  
similes Antistites plures Belgi-  
ca nostra videat, vtq; in aliorum  
exemplum Deus Opt. Max. Te  
quàm diutissimè sospitet ac  
seruet: Antuerpiæ pridie Idus  
Martias, M. DC. XIV.

*Rdæ. admodum Amplitu. Vestra  
Studiofissimus*

AVB. MIRÆVS.

ORDI-



ORDINES RE-  
LIGIOSI SVB REGVLA  
S. BENEDICTI MILI-  
TANTES.

**O**Rdo nigrorum vt vocant, mo-  
nachorum, toto terrarū orbe  
diffusus, à S. BENEDICTO circa  
annum 520. institutus,

Ordo Cluniacensis in Gallia, per  
S. ODONEM Abbatem Clunia-  
censem circa annum 900. inchoa-  
tus,

Ordo Camaldulensis in Italia per  
S. ROMVALDVM anno 940.  
excitatus.

Ordo Vallis Vmbrosæ, per S. IO-  
ANNEM GUALBERTVM  
Florentinum anno 1060.

Ordo Cisterciensis, anno 1098. à  
S. ROBERTO Abbate Molif-  
mensi fundatus, & postea mirificè  
auctus ac propagatus à S. BER-  
NARDO Abbate Claræuallensi.

Ordo Montis Virginis in Apulia

per



per S. GVILIELMVM Vercel-  
lensem, circa annum 1120. exci-  
tatus.

Ordo Fontis Ebraldi in Gallia per  
ROBERTVM Parisiensem, (qui  
anno 1117. obiit) institutus.

Ordo Humiliatorum in Insubria  
seu Lombardia, Italiae prouincia,  
circa an. 1090. inchoatus, & per S.  
IOANNEM MEDAM, patriâ  
Comensem, regulæ Benedictinæ ag-  
gregatus, perque Innocentium III.  
Papam anno 1200. demum appro-  
batus.

Ordo Cælestinorum, anno 1274.  
per S. PETRVM MVCONEM  
(qui postea Cælestinus Papa eo no-  
mine Quintus fuit) excitatus, & an.  
1297. per Bonifacium VIII. appro-  
batus.

Ordo Grandimontensis in dice-  
cesi Lemonicensi, apud Gallos cir-  
ca annum 1080. per S. STEPHA-  
NVM Abbatem (qui anno 1126.  
obiit) institutus.

Ordo Montis Oliueti in Etruria

seu



seu Tuscia, per S. BERNARDVM  
PTOLOMÆVM, patriâ Senen-  
sem, circa an. 1320. incoëptus, & per  
Gregorium XII. Papam, circa an.  
1372. confirmatus.

Ordo Siluestrinorum, circa an.  
1232. per SILVESTRVM GO-  
ZOLIVM in Monte Fano, tertio  
lapide ab vrbe Roma inchoatus.

Congregatio monachorum S.  
Iustinæ de Padua nunc Cassinensis  
dicta, per LVDOVICVM BAR-  
BVM. an. 1410. instituta.

Congregatio Bursfeldensis in Ger-  
mania superiore & inferiore.

Congregatio Vallisoletana in  
Hispania.

Ordo Fulienſis siue S. Bernardi de  
Pœnitentia, instituti Cisterciensis,  
in Gallia institutus per Ioannem  
Barrerium, qui Romæ anno 1600.  
obiit.

Ordo Equitum Calavvauæ, in re-  
gno Castellæ an. 1158.

Ordo Equitum Alcantaræ, in re-  
gno Legionensi anno 1167.

Ordo



Ordo Equitum Montesiæ in re-  
gno Valentiaë, per Ioannem II. Re-  
gem Aragoniaë anno 1316.

Ordo Christi in Lusitania, anno  
1318.

Ordo Anisiorum in Lusitania  
anno 1147.

Ordo S. Stephani in Etruria, per  
Cosmum Etruriaë Ducem anno 1561.  
institutus.


Ordo SS. Mauritij & Lazari in  
Sabaudia.







S. BENEDICTVS  
MONACHORVM IN  
OCCIDENTI PATRI-  
ARCHA.




ORIGI-



I

ORIGINES  
BENEDICTINÆ  
CAPVT I.

CASSINENSE SEV CASINENSE  
*monasterium, à S. Benedicto fundatum, in  
monte Cassino, apud Beneuentum in Italia.*

 BENEDICTVS Nursiæ nobiligenere ortus, Romæ liberalibus disciplinis eruditus, vt totum se IESV CHRISTO daret, ad eum locum, qui *Sublacus* dicitur, in altissimam speluncam penetrauit: in qua sic per triennium delituit, vt vnus id sciret *Romanus* Monachus, quo ad vitæ necessitatem ministro utebatur. Dum igitur ei quodam die ardentes ad libidinem faces à diabolo subijcerentur, se in vepribus tamdiu volutauit, dum lacerato corpore, voluptatis sensus dolore opprimeretur. Sed iam erumpente ex illis latebris famâ eius sanctitatis, quidam monachi se illi instituendos tradiderunt; quorum viuendi licentia cum eius obiurgationes ferre non posset, venenum in potione dare constituunt. Verum poculum ei præbentibus, Crucis signo vas confregit, ac relicto monasterio in solitudinem se recepit. Sed cum multi eum quotidie di-

A

sci-



discipuli conuenirent, duodecim monasteria ædificauit, eaque sanctissimis legibus comuniuit. Postea Cassinum migravit, vbi simulacrum Apollinis, qui adhuc ibi colebatur, comminuit, aram euertit, & lucos succendit: ibique Sancti Martini sacellum, & Sancti Ioannis ædiculam extruxit: oppidanos autem & incolas Christianis præceptis imbuit. Quare augebatur in dies magis diuina gratia Benedictus, vt etiam prophetico spiritu ventura prædiceret. Quod vbi accepit Totila Gothorum Rex, exploraturus an re ita esset, spatharium suum regio ornatu & comitatu, præmittit, qui se Regem simularet. Quem vt ille vidit, Depone inquit, fili, depone quod geris; nam tuum non est. Totilæ verò prædixit aduentum eius in urbem, maris transmissionem, & post nouem annos mortem.

Qui aliquot mensibus antequam à vita migraret, præmonuit discipulos quæ die esset moriturus: ac sepulchrum, in quo suum corpus condi vellet, sex diebus antequam eo inferretur, aperiri iussit: sextoque die deferri voluit in Ecclesiam: vbi sumpta Eucharistia, sublati in cælum oculis orans, inter manus discipulorum efflauit animam: quam duo monachi euntem in cælum viderunt pallio ornatam pretiosissimo, circum eam fulgentibus lampadibus, & clarissima & grauissima specie virum stantem supra caput ipsius dicentem audierunt: *Hæc est via, qua dilectus Domini Benedictus in cælum ascendit.*

Obijt



Obijt autem S. Benedictus anno Christi  
543. iuxta Leonem Ostiensem, aut circiter.  
Qua de re vide Annales Baronij, ad annum  
542. Ceterum Cassinense monasterium, haud  
longè à Benevento situm, anno 528. S. Benedi-  
ctus construxit, neque possessionum solum  
multitudine ornatum, sed etiam S. *Scholasticae*  
sororis suæ corpore & suomet ibi sepulto  
venerandum reliquit: vt tradit Sigonius lib.  
1. de Regno Italiae. Catalogus Abbatum Cas-  
siniensium, eorumque res gestæ exstant apud  
Arnoldum Vvionum lib. 1. Ligni vitæ. Cassi-  
nenses hodie Abbates non perpetui, sed tan-  
tummodo quinquennales sunt: ex quo nimi-  
rum hoc monasterium est reformatum per  
Iulium 11. Papam, & aggregatum Congrega-  
tioni S. Iustinae de Padua quæ nunc Cassinen-  
sis dicitur. Vide infra cap. 92.

Ceterum pars reliquiarum S. Benedicti ad-  
seruatur in Floriacensi monasterio, in diæcesi  
Aurelianensi; vt & pars reliquiarum S. Scho-  
lasticae, in vrbe Cenomanensi, in monasterio  
olim monialium, nunc collegiata Canonico-  
rum basilica, titulo S. Petri.

Ioannes Trithemius, qui inter alia scripsit  
librum de Viris illustribus ac scriptoribus  
Ordinis S. Benedicti, inter alia refert quin-  
decim ampliùs millia Abbatiarum huius Ordi-  
nis fuisse numerata. Addunt insuper nume-  
rari Sanctorum, vt vocant, canonizatorum  
quindecim millia, quingentos & quinqu-  
aginta nouem.



## CAPVT II.

*S. Ioannis Baptiste olim, nunc S. Placidi monasterium, apud Messanam Sicilia urbem.*

**S** PLACIDVS Romæ, Tertullo patre in primis nobilissimus, puer Deo oblatus, & sancto Benedicto traditus, tantum eius disciplina & monastica vitæ institutis profecit, ut inter præcipuos illius discipulos numeraretur. Ab eo in Siciliam missus, monasterium & Ecclesiam in honorem S. Ioannis Baptiste prope Messanæ portum construxit; ubi cum monachis admirabili sanctitate vixit. Eius visendi causâ, cum eò venissent *Eutychius & Victorinus* illius fratres, & *Flavia* virgo soror, eodem tempore illuc apulit immanis quidam pirata, *Manucha* nomine: qui capto monasterio, cum Placidum & ceteros nullo modo adducere potuisset ut Christum negarent, ipsum fratresq; illius ac sororem crudeliter necari iussit. Cum quibus etiam *Donatus*, *Firmatus* Diaconus, *Faustus*, alijque triginta monachi, martyrij agonem feliciter consummarunt tertio nonas Octobris, anno salutis quingentesimo trigesimo nono.

Monasterium istud hodie *S. Placidi* nomen habet, ab ipso nimirum fundatore, estque aggregatum Congregationi Cassinensi an. 1506. ut infra cap. 92, dicemus.

Desi.



**D**esiderius Longobardorum Rex cœnobium S. Benedicto exædificauit in *Leno* agri Brixiani vico, filiam vero *Ansilbergam* diuino cultui virginem consecrauit, in monasterio à se constructo ad urbem Brixiam quod Christo Saluatori & S. Iuliæ martyri anno 761. dedicauit. Pium hoc opus approbauit Paulus Papa anno 762. vt narrat Sigonius lib. 3. de regno Italiæ.

## CAPVT III.

*Monasterium S. Petri de Cardena, secundo lapide à Burgensi vrbe, in Castellaveteris situm.*

**E**st istud monasterium inter Hispanica omnium antiquissimum, vtpote an. Christi 540. fundatum per monachos à S. Benedicto in Hispaniam missos. Fundatrix fuit *Sanctia* mater *Seueriani* Ducis prouinciæ Carthaginensis, qui fuit pater Sanctorum *Leandri*, *Isidori*, *Fulgentij* & *Florentia*. Hoc monasterium reædificandum curauit *Rodericus Diaz*, vulgo *Cid Ruy Diaz de Viuar* dux belli contra Mauros famosissimus, qui & ibidem voluit sepeliri. Tumulus eius hodieque magna cum admiratione spectatur. Obijt autem Valentia anno Christi 1099. Sic tradit Prudentius Sandoallius, Prior perpetuus monasterij S. Iohannis Regalis de Naranco, & chronogra-

540.



phus Regius, nunc Episcopus Pompelonensis, in prima parte de foundationibus monasteriorum Ordinis S. Benedicti in Hispania, ab an. Christi 540. vsque ad annum 714. quo Mauri Africani in Hispaniam irruerunt. Exstat is liber Hispanicè in folio editus Madriti anno 1601.

*Monasterium S. Toribij de Lieuana, in Hispania.*

544.

Situm est hoc monasterium in montibus Sanctæ Iulianæ, primo lapide ob opido Potes nuncupato, & creditur fundatum temporibus S. Benedicti. Nomen habet à S. Toribio monacho, fundatore: qui est alius à S. Toribio Episcopo Asturicensi. Nam Toribius Episcopus vixit circa annum Christi 450. temporibus Leonis Papæ: Toribius autem monachus floruit circa annum 544. temporibus Montani Archiepiscopi Toletani. Monachi meminit Ildesonsus lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, ubi de Montano agit. Vterque Toribius Fidem Palentiæ propagauit, & contra Priscillianistarum hæreses depugnauit. Vtriusque sacrum corpus hoc in monasterio adseruatur in facello subterraneo. In eodem monasterio asseruatur magna pars *Crucis Dominicæ*, & magno hominum piè peregrinantium concursu frequentatur. Ita Prudentius Sandouallius, in Parte Prima foundationum monasteriorum benedictinorum in Hispania.

*Monasterium*



*Monasterium S. Claudij, ad muros vrbs Legionensis, & alia in Hispania.*

**H**Oc monasterium fundatum est in honorem SS. martyrum Claudij, Lupercij & Victorij, quorum corpora ibidem adseruantur. Putatur autem fundatum temporibus Sancti Benedicti, iuxta traditionem à maioribus acceptam. Huius monasterij quondam Abbas fuit Sanctus Vincentius martyr, cuius sacrum corpus adseruatur in basilica cathedrali Ouetensi, arcæ argenteæ inclusum. In eodem monasterio, ob loci sanctitatem, olim vixit S. *Leander* Archiepiscopus Hispalensis. Fuit hoc monasterium olim Congregationis Cluniacensis, nunc autem Vallisoletanæ, ab anno Christi 1500. Ita Sandouallius in prima parte Foundationu in monasteriorum benedictinorum.

Est & illustre monasterium de Ona dictum, haud procul situm à Medina del Pumar de miranda, per Sanctium Castiliæ Comitem anno 1010. fundatum, ad expiandum parricidium matri à se illatum. Prima huius loci Abbatisa fuit *Tingidia* Sanctij fundatoris filia. Fuit enim hoc cœnobium primò monialium, sed hodie est monachorum benedictinorum.

In regno Nauarræ in d. Pompelonensi.



est Abbatia S. Saluatoris *de Leyra*, fundata per Regem *Inicum Ximouium Ariftam*, anno 840.

Est illustris pariter Abbatia in Nauarræ opido Naiara, quæ vulgò dicitur, *El Real de Naiara*, in qua 37. Reges sepulti sunt.

Sunt insuper in Hispaniarum regnis alia multa coenobia Abbatiali titulo clara, vt cella noua in d. Auriensi, in regno Galicia, fundata per *Rosefuindum* Archiepiscopum Compostellanum. In eodem coenobio quiescit corpus S. *Torquati* Episcopi Gaditani.

Abbatia S. Stephani, dicta, *in Riba de Sil*, quòd ad fluuium nominis eiusdem sita sit in regno Galicia.

Abbatia S. Ioannis *de la Penna*, in confinibus Aragoniæ & Nauarræ.

Abbatia S. Martini, in vrbe Mantua Carpetanorum, seu Madrito.

Abbatia S. Petri *de Arlanca*, ad fl. de Arlanca, fundata per Comitem *Fernandum Gonzales* Castellæ Administratorem, eodem in monasterio sepultum.

Abbatia S. *Dominici de Silos*, in d. Calaguritana, quæ nomen ab eodem Sancto habet.

Abbatia *de Hipoll*, in Principatu Catalauniæ, tumulis antiquorum Comitum *Barcino* nensium insignis.

Abbatia, vulgò *El Real de yrace*, in vrbe *Stella*, in regno Nauarræ.

Abbatia nostræ Dominæ, *Sopetram* dicta, prope opidum *Hita*, ad fl. *Henares*.

Abba-



Abbatia s. Victoriani, in d. Ofsensi, in regno Aragoniæ.

Abbatia s. Cucuphæ, vulgo de s. Colgato-  
ctauo lapide ab vrbe Barcinonensi, ab eius-  
dem prouinciæ Comitibus fundata.

Abbatia s. Petri de Roda, in Ampurijs ad  
mare sita.

Abbatia s. Martini in vrbe Compostella-  
na, quæ vulgo s. Iacobi dicitur in regno Gali-  
ciæ.

## CAPVT IV.

*S. Matthiæ cœnobium, apud Treueros, in  
Germania.*

**S** Matthiæ præpotens ac magnificum ho-  
die extra muros Treuerenses cœnobi-  
um, reformationis Bursfeldensis, dictum est  
antiquitus *S. Eucharij Cella*, à *S. Euchario* pri-  
mo Treuerorum Doctore & Episcopo, qui ex  
septuaginta duobus discipulis vnus, à s. Petro  
cum alijs duobus *Materno & Valerio* Treue-  
rim missus dicitur. Cumque ibi concionatus,  
ad Christum Treueros duceret, Albanæ fena-  
tricis cuiusdam filium defunctum à mortuis  
resuscitauit; pro quo beneficio, cum dedisset  
femina domum suam sancto Dei viro; ipse  
met ex illa domo priuata, publicum eorum,  
qui iam Christo inserti erant, templum fecit.  
In hac domo & in hoc ipso tēplo *s. Eucharis*  
habitauit: in hac domo mortuus, mox ab au-



ditoribus in subterranea templi crypta positus, ibique humatus est; in quo loco omnes postea eius successores Episcopi Treuirenses usque ad Valentinum vicesimum sextum Antistitem collocati & decenter humati sunt, tumulis & mausoleis quindecim amplissimis parieti cryptæ eleganter insertis, quæ nonnisi cum multa admiratione videri possunt.

Coemiterium verò S. Eucharij duas habet subterraneas cryptas, in quibus plurima veterum heroum & sanctorum Dei amicorum cernuntur mausolea & magnifica sepulcra; vnum verò præcipuè cum lilijs saxo incisus, quæ Regem Galliarum aut de regia familia aliquem ibi cubare testantur. Perijt incendio hæc Cella S. Eucharij circa annum Domini 330. sed restituitur paulo post à S. Agritio Archiepiscopo Treuerorum vicesimo septimo, qui corpus S. Mathie Apostoli Treuerim afferens, in eam cellam transtulit, quam deinceps S. *Matthie monasterium* appellandum censuit. Euerfa verò ab Attila Hunnorum Rege (qui semetum orbis & flagellum Dei dicere non erubuit) tota ferè Treueri, Cella hæc S. Matthie etiam solo æquata est. Quam mox tamen Cyrillus tricesimus septimus Treuirorum Antistes non solum reparauit, sed etiam auxit atque ampliauit, sibi que tumulum illic prope antecessores suos constituit. Monastica verò congregatio cæpit illic paulo post huius Cyrilli tempora: & fuisse in ea multos eximie doctos admodumque diligentes monachos

testa-



testatur hodie adhuc incomparabilis huius monasterij bibliotheca. Postmodum Galliarum Regum & Episcoporum Treuerensium accessit liberalitas ac munificentia, qua & ditatum & egregiè illustratum est monasterium s. Matthiae. Habet autem præ ceteris plurimis ornamentis, 28. fontes optimos ac limpidissimos, omnes ex vna scaturigine ortum & initium fumentes, sic ferè Gaspar Bruschi in Chronologia monasterium Germaniarum.

## CAPVT V.

*S. Vedasti Abbatia, in vrbe Atrebatensi,  
apud Belgas.*

**I**llustrissimum S. VEDASTI coenobium, ut nomen sic & originem repetit à S. Vedasto Atrebatensi Episcopo: adeoque commune cum alijs plurimis habet exordium, quæ à cellulis anachoretarum & oratorijs Sanctorum originem duxerunt. Ceterum Vedastus, Romano collabente Imperio, Religioni Christianæ propagandæ in Leucis operam dabat, cum Rex Galliarum Clodoueus primus aduersus Germanos illo in tractu bellum gereret. A quibus parum absuit quin funderetur ac deleretur: sed precibus ac votis impetrata victoria, Regi Vedastus catechista opportunus adfuit, cumque ad Christiana sacra amplectenda, & baptismum suscipiendum, S. Remigio Remensi Archiepiscopo collaborante anno salutis 500. pertraxit.

500.

Atre-



Atrebatum surgebat è ruinis eo tempore & populus iam frequentior, sed rudis & omnis pietatis expers, diligenti ac pio pastore indigebat. Remigius itaque, vt alijs plerisque vrbibus, alios atque alios, sic Atrebatibus, sub annum 530. Vedaſtum dedit Episcopum. Is prouinciam ingreſſus, verbo & exemplo verum pastorem se exhibet, orationibus & meditationibus animum frequenter excolit, cellulâ anachoreticâ, cum ſacello ſeu oratorio, non ita procul ab vrbe prope ripam fluuioli Crientionis leui opere compoſitâ: in quam ſecedens cum Martha, opere fatigatus, Mariæ ſilentium & otium ſanctum amplectitur, animumque reficit, vt ſeipſo melior ad opus redeat.

Seceſſum hunc ſanctus Præſul, quamdiu vixit, diligenter excoluit, & non raro inſinuauit, optare ſe, in eo vt conderetur, cum mortalitatem exuiſſet. Pijs tamen cleri populi-que votis, qui dictam cellulam aded humilem tanti viri meritis imparem cenſebat, datum fuit, vt in cathedrali virginis Deiparæ templo conderetur. Voluit nihilominus Diuina bonitas, vt aliquando ſanctus Antistes voti compos fieret: atque ita immiſit in mentem S. Auberti, poſt aliquot intermedios illius in cathedra Episcopali ſucceſſores, vt ſacras reliquias, in alium transferret locum. Cumque ambigeret, anxiusque ſecum verſaret, quonam loco eas reconderet, poſt nocturnas preces & meditationes, è moenibus,

ceui

S. Aubertus  
Episcopus  
Cameracensis  
ſis transfert  
S. Vedaſti  
corpus.



ceu pergulo & loco celsiori, prospicienti sub auroram eminus ad ripam Crientienis offertur imago architectorum & operariorum, ædificium insigne designantium: subiitque illi in mentem (quod & Deo reuelante percepit) illum esse locum in quem transferri & deponi sacrum corpus deberet.

Quando autem vetus cellula, ipsiusmet *Auberti* iudicio ad id non sufficebat, nec solitudo aut paucorum fratrum societas, à quibus colebatur, idonea videretur ad asseruandum nobilem hunc thesaurum, sic eum locum excoluit, vt iustum monasterium conderet, & sanctioris vitæ cultores complures monachos ibidem colligeret. Et post aliquot annos, inuitatis sanctis Præsulibus, *Audomaro* Teruanensi, & *Lamberto* Traiectensi ad Mosam, alijsque primariæ notæ viris ad translationis celebritatem, sanctas reliquias, è basilica Episcopali, transfert in monasterium, ad ripam dicti fluminis excitatum in cliuo montis; qui sensim ad orientem surgit, cui iam infidet maxima pars vrbs Atrebatensis, cupitæque s. Vedastum reddit cellulæ, anno Domini 658. vt tradunt *Sigebertus* & *Massæus* chronologi.

Felicia hæc initia ac progressus postea promouit s. *Vindicianus* Episcopus, s. *Auberti* successor: qui ad expiandam cædem, s. *Leodegario* Augustodunensi Episcopo ab *Ebroino* maiore palatii Regis *Theoderici* in agro Atrebatensi illatam, procurauit; vt dictus

*S. Vindicianus Episcopus Cameracensis.*

Rex



Rex Theodericus monasterium Vedaſtinum liberaliſſimè dotaret. Sed & ipſe Vindicianus iuriſdictionem Pontificiam remiſit, voluitque monaſterium immediatè à ſede Apoſtolica dependere. Res breuiter antiquis hiſce verſibus expreſſa eſt in dicti Theoderici Francorum Regis epithaphio, quod hodieque in Vedaſtino monaſterio viſitur ac legitur.

*Rex Theodericus ditans vt verus amicus  
Nos ope multimodâ, iacet hîc cum cõiuge Doda,  
Regis larga manus & præſul Vindicianus  
Nobis Regale dant, & ius Pontificale.  
In decies nono, cum quinquagies duodeno  
Anno, deſunctum ſciat hunc qui quattuor addat.  
Qui legis, hac hora Dominum pro Regibus ora,  
Muneribus quorum ſtat vita Dei famulorum.*

Hos progreſſus ac ſucceſſus Vedaſtinum habuit coenobium, fuitque initio anachoretica, vt dixit, ſ. Vedaſti cellula, piorum deinde ſeceſſus, ac monaſterium ſ. Auberti ſtudio excitatum, & regia Theoderici liberalitate, demum mirificè auctum. Ac primùm quidem per annos multos, à paucis monachis ſub Priore agentibus locus incolebatur, ſed temporibus Vindiciani Episcopi, & duodecimo anno Theoderici Regis, creatus eſt primus Abbas *Hatta* vir in primis religioſus ac prudens, qui poſt annum decimum quintum regiminis, præfecturâ monaſterij ſancti Pe-

tri ad

*Hatta primus Abbas Vedaſtinus.*



tri ad muros vrbis Gandensis auctus est.

Ad tam sanctas origines dicti monasterij accessit fama miraculorum s. Vedasti: vnde natum ipsi nomen *Nobiliaci*. Additum & nomen *Castri*, siue ob ædes, quas in eo Theodericus aliique Reges ac Principes habuerunt, siue ob munitiones ac propugnacula quibus cœnobium olim cœptum fuit, aduersus Hunnorum, Danorum, Normannorum & aliorum barbarorum incursiones.

*Nobiliaci.*

*Præpositura à Vedastina Abbatia dependentes.*

**A** Vedastina Abbatia dependent octo Præposituræ, quæ per monachos illius loci administrantur. Prima est *Angicurtiensis* siue *Agilcurij*, sita in diœcesi siluaneœsi septimo plus minus lapide à Lutetia Parisiorû, quæ Vedastinis accessit beneficio Glotildis viduæ Regis Clodouæi.

*Angicurtiensis.*

secunda est *Maniliensis*, altero à Perona lapide sita. & altero à rapolmis intra terminos regni Franciæ, vt & Angicurtiensis.

*Maniliensis.*

Tertia *Salliacensis* siue de salliaco dicitur, in confinibus Artesiæ & Flandriæ.

*Salliacensis.*

Quarta est s. *Michaëlis*, in suburbio vrbis Atrebatensis Henrico primo Abbate Vedastino excitata.

*S. Michaëlis.*

Quinta est s. *Petri de Gorrea*, quæ distat vno lapide à bethunia Artesiæ opido.

*S. Petri de Gorrea.*

sexta



sexta s. *Saluatoris* ceu s. Trinitatis Berclouensis medio milliari à Bassea, tribus verò miliaribus à Lensio Artesiæ opido sita. Monasterio accessit liberalitate *Leduini*, qui postea factus est monachus ac demum Abbas Vedastinus. De quo ita chronograpus cameraensis in chronico nondum typis edito. *Est vicus ex rebus sancti Vedasti, nomine Berclaus, in paludibus quidem situs, pascuis tamen aptus, omninoq; etiam monachorum vsui opportunus.* Illic ergò Leduinus Abbas s. Vedasti, considerata rei opportunitate, monasterium fundare disposuit, si quidem ei Episcopalis auctoritas adspiraret: quippe duplici vsu satis competenter prouiso, quòd inibi videlicet partem ex monachis, qui ad coenobium s. Vedasti frequentiores confluerant, delegaret, & bona Ecclesiæ circumiacentia tutius possiderentur. Itaque Dominum Gerardum I. Episcopum in conuentu synodali conueniendum existimauit, suæque deliberationis effectum coram omni synodo postulauit. cuius auctoritate nec difficile impetratu fuit. Monasterium ergò ædificare festinat, consummatumq; ab ipso Domino Episcopo consecrari obtinuit. Loci autem vocabulum Episcopus immutauit, & Cellam sancti Saluatoris statuit nominari. *Rom. Hactenus ille.*

*Hasprens.*

Septima est Præpositura *Hasprens*, SS. Hugonis & Aichadri honori dedicata, medio itinere inter Valencanas & Cameracum, ad salem vulgò *Sel* fluuiolum, qui ibidem in

scal-



Scaldium sese exonerat, amœno loco sita.

Accessit ea quoque Vedastinis, studio eiusdem *Lebuni* Abbatis, cùm antea à Gemetico dioecesis Rotomagensis monasterio dependeret. Rem totam sic exprimit Iacobus Guisianus.

Pipinus Maior domus Austrasiorum, victo Theoderico Gallia Rege, fundavit, cœnobitis Benedictinis, Gemetico celebri dioecesis Rotomagensis monasterio, euocatis. Porro anno Christi millesimo vicesimo quarto, Gerardo, eo nomine primo, Cameracensi Episcopo, procurate, facta est permutatio inter Vedastinum ac Gemeticense monasteria, Vedastinis Anglicuriam, in dioecesi Bellouacensi sitam, in usum Gemeticensium; Gemeticensibus verò Haspram in usum Vedastinorum cedentibus. Ita Iacobus Guisianus in manuscriptis *Hannoniae Chronicis*. De his rebus fusiùs Chronographus Cameracensis: Quo tempore (inquit) Normanni, maximè quidem Rol tyranno in-centore, per hoc regnum, ut per alia, desauierunt, & culpis Christianorù exigentibus Ecclesias sanctorum passim combusserunt, tãtæ formidinis tempestate, corpora sanctorum, Aicadri videlicet atque Hugonis, de Gemigio cœnobio, quod super fluuium sequanam, non procul ab vrbe Rotomago situm est, ad villam Hasprum, quæ ab vrbe nostra non plus quàm decem millibus disparatur, allata sunt. Quam villam vtrum ab antea possessam subiacuisse prælibato monasterio, an tuac

*Haspris qui-  
escunt S.*

*Aicadri  
Abbas Ge-*

*meticensi  
& S. Hugo*

*Episcopus*

*Roma-  
gensium.*

*Gemeti  
hodie lu-*

*miege mo-  
nasterium*

*est Benedi-  
ctinorum.*

*quarto mil-  
liaria Ro-*

*tomago.  
Libr. 2.*



\* Forè re-  
manenti-  
bus.

Gerardus  
l. Episcopus  
Camera-  
censis.

temporis aut à Rege, aut à quolibet Principe pro remedio animæ receptationi sanctorum traditam fuisse dicamus, incertum est. Ex his certè beatus Aicadrus à sancto Philiberto eiusdem coenobij Abbate probatissimo, Abbas etiam constitutus, regimen sacrum agebat, vitæque moribus, & virtutum conuersatione fulgebat. Ad cuiuspiam conuersationem sanctus vir Domini Hugo Rotomagensis Episcopus, Carlomanni Regis filius, diuina inspiratione succensus, relictis siquidem Episcopatus habenis, curisque secularibus abdicatis, disciplinam monachorum, & habitum ex toto desiderio appetiuit, sacrisque magistri moribus informatus, omni virtutum genere perfectus, emicuit. Ambo autem qui & quales exstiterint, eorum vitas legentibus euidenter occurrit. His nimirum apud hanc villam post hac \* remeantibus, monasterio facto monachis delegatis, ad laudem eorum pius & misericors DEVS multa, imò & creberrima virtutum prodigia dignatus est operari, in tantum sanè, vt nemo ex vicinis potentibus, aut in expeditionem aliquando transeuntibus, vllā præsumptionem ante hac audeat irrogare. Sed quia monachorum Abbas longè aberat, eosque rarissimè pro difficultate longinquitatis visitare solebat, in libertate soluti seculū sectabantur, irregulariterque viuentes, vsque ad tempus Gerardi Episcopi, utpote absque rectore, periclitabantur. Quod vidēs Episcopus, Abbatem.



batem, vt hoc corrigeret, sæpe commonuit: sed quia, vt diximus, longè aberat correctionem morabatur. Cōtigit autē Episcopum, pro Ecclesiastica sollicitudine, fortè per hanc villam transitum facere, & Abbati Leduino (comes enim erat itineris) obscenam monachorum conuersationem indicare. Salubri etiam, imò competenti consilio hortatus, vt si quas res sancti Vedasti in vicinia prælibati monasterij haberet, eas siquidem pro hoc monasterio, quod sibi esset contiguum, cōmutaret, huncque locum pro compendio æternæ remunerationis meliorare satageret. Qui inter huiusmodi colloquia incertò hæsit, & tamen, ac si difficile, recusauit. Nec multò post temporis interuallo, Abbas salubriter cōsultus, benè & diligenter considerata oportunitate, notum fecit Episcopo, se executorem fore monitionis, si ab ipso Abbate Theoderico commutationem impetrare valeret. Unde lætus Episcopus continuò directā legatione Abbatem Theodericum adorsus est, monstrans animæ periculum, si non in tempore sibi consuleret. Cum longè esset positus locum commutare deberet; quod si noller, adiuncto sibi Balduino Marchione, falsos monachos expelleret, locumque emendare cum omni auctoritate satageret. Super quod Abbas competenti consilio vsus, mandatis Episcopi satisfacere æstimauit, rebusque sancti Vedasti, quæ in sua vicinia circumiacent, susceptis, villam Hasprum Leduino Ab-

Leduinus  
Abbas mo-  
nasterij S.  
Vedasti.

Baldwinus  
Fland. Co-  
mes &  
Marchio.



bati contradidit. Hæc autem commutatio coram Rotberto Rege Francorum, coramque Comitibus, Balduino videlicet Flandrensi, & Richardo Rotomagensium facta est, & ab eisdem corroborata. Abbas itaque Leduinus, ut ædicator videlicet idoneus, locum cum summo studio ad laudem & venerationem sanctorum, qui ibidem quiescunt, emendauit, nouisque ædificiis & claustro regulari insignire exercuit. *Hactenus ex Chronica Cameracensi.*

Octaua est præpositura *S. Chrystine de Beueria*, qui pagus est vno milliaria Bethunia Arthesiæ opido distans. Fuit ea olim annexa monasterio *S. saluatoris Caroffensis* in diocesi Putauiensi; quam inito contractu cum Caroffensibus & à sede Apostolica approbato *Ioannes Saracenus* tunc Abbas Vedastinus & postea Archiepiscopus Cameracensis, anno Christi 1587. cum Abbazia Vedastina vniuit & amplis ædificiis instruendam curauit.

Atque hæc quidē, quæ de Vedastina Abbazia hactenus diximus, ad nos transmittenda curauit Reuerendus admodum atque Amplissimus *D. Philippus Cauerellus* Abbas Vedastinus anno 1611. mense Aprili,

*Chronographi Cameracensis, qui anno 1040. floruit, testimonium de S. Vedasto.*

**D***Um tyrannica rabies in Christi Ecclesiã desceiret, fuit ciuitas Atrebatum sine Principe*

*cipe*



cipe sacerdotij, vsque ad tempus sancti Vedasti, Ecclesia destructa, locus in solitu liuem redactus ferarum habitatio factus. Hic sanctus Domini Confessor, & egregius praedicator, temporibus fortissimi Regis tunc temporis Francorum Clodonei, in hac diuina dirigente gratia ob multorum salutem peruenit regiones. Cuius rei ordinem, & causam, quantum breuitas patitur, stilo prosequamur. Porro memoratus Princeps fanaticis adhuc tenebatur erroribus inuolutus, sed erat ei vxor religiosa, baptismi sacramentis initiata Crothildis nomine, filia Chilperici Regis, quem Gundebaldus Rex frater eius ortis simultatibus interfecerat. Hac Christianissima Regina Regi quotidie blandiebatur, suadens ab idolatriæ culturâ, ad vnius veri Dei cultum conuerti, vt per mulierem fidelem, saluaretur Rex infidelis. Sed Rex Reginae consilium minus audiebat, quia Deorum suorum auxilio fieri putabat in omnibus, quæ sibi prosperè accidisse videbantur. Anxia de Regis potius salute, quam de regni potentia Regina, vbi salutis consilium Regem contempsisse videt, dari ab excelso postulat opportunitatis euentum, quo vt sit Rex compulsus, salutis sue sumeret occasionem. Bellum itaque Rex Alemannis indicit, sed imparatos, vt voluit, non offendit. Nam hi, collectâ manu validâ, circa ripas Rheni fluminis, Regi occurrere, bellicâque virtute patriam suam defendere tentant. Inuocatis ad auxilium Regis dijs suis Franci in ipso congressionis apparatu, cœperunt mente deficere, & languentibus dextris terreri,

Crothildis  
vxor Clodo-  
nei.



simul & formidine dissoluti, vitæ potius despera-  
tione, quam victoria dispendio agitari. Videns  
Rex palantem exercitum, supra vim terris, vir-  
tutem animi gerens, prohibet trepidare  
milites, magisque in prælum accendit, ne tanti  
estimarent mortis periculum, quàm gloria tri-  
umphum. Ipse itaque signifer reuocans acies,  
primus equum in hostem egit, & clamore ma-  
gno secuti ceteri acriter dimicabant. Alemanni  
è contra viribus & numero præstantiores, quibus  
pro patriâ, & vitæ libertate res erat, cœperunt  
fortiter Francos urgere, alij sagittis, alij telis, alij  
balistis, credentes confodere. Rex autem vbi  
multorum amissione videt dilabentem non posse  
subsistere exercitum, nec vocatos Deos instanti  
periculo sibi subuenisse, rebus desperatis fortissi-  
mum Dominum Christianorum, quem Regina  
colendum ei suaserat, inuocauit, toto se obligans  
se cum suo exercitu sacro fonte diluendum, si  
conuersis rebus victor ab hostibus remeasset. Nec  
morare creatis viribus, & reparatis agminibus  
cum auxilio Trinitatis hostes inuadunt, & om-  
nes penè ad interuersionem deuincunt, nisi qui-  
bus fuga aut deditio fuit ad vitam. Intelligens  
Rex non tam suâ virtute, quam Dei munere ho-  
stes superatos, cui se fidei voto cōstrinxerat, Tul-  
lum mox opidum adiit, audit o vbi beatum Veda-  
stum laudabili religione Deo seruire, cui cum  
aduentus sui causam exponeret, & pugna euen-

tum,



tum, qui ex Deorum inuocatione in aduersum  
cesserat, ad Christi nomen secundo successu pro-  
uenisse notificaret, vir Domini gratias agens  
Deo, qui gentibus regnum suum aperire digna-  
tus est, coepit Catholicae fidei ministerium Regi  
annuntiare, & Euangelicis assertionibus instru-  
ctum duxit ad venerabilem virum Dei Remigi-  
um, qui tunc temporis Remensis Ecclesiae arcem  
tenebat, vir ex sapientia, virtutibusq; factus,  
cuius spiritualium virtutum insignia testatur  
gens Gallica per eum ad Christum conuersa, cui  
etiam Hormisda Papa vires suas quondam in  
Gallijs agendas commiserat. Vedastus igitur fe-  
stinantem ad vitae fontem deducebat Regem, quo  
in itinere cuidam ceco ad se clamanti vir Dei lu-  
men reddidit oculorum non sine admiratione pa-  
latinorum procerum, immo etiam Regis, quem  
praesentis exhibitio miraculi Christianae fidei fer-  
uore accendit. Cernitur vsque in hodiernum Ec-  
clesia in testimonium virtutis huius constructa, in  
qua orantibus, & credentibus beneficia prestan-  
tur diuina. Haecenus Chronographus Came-  
racensis, typis nondum editus.

Ceterum Vedastus à sancto Remigio  
Archiepiscopo Remensi datus  
Episcopus Camera-  
censis.



*Albini Flacci Alcuini testimonium de S. Vedaſto,  
Clodonei primi Gallia Regis docto-  
re ac cate-  
chista.*

**H**is appositè à nobis adiungentur ea,  
quæ de s. Vedaſto, primo Clodonei  
Regis catechista, pòſt A trebatenſi Episcopo,  
Albinus Flaccus Alcuinus, ſanctiſſimi Præſu-  
lis res geſtas proſequens, commemorat, poſt  
dictam victoriam de Alemannis feliciter ob-  
tentam. Hæc (inquit) arrepta victoria, de quâ  
ante diximus, Regi populog<sup>3</sup> ſuo cauſa fuit ſalutis  
eterna, & ne lucerna (s. Vedaſtus videlicet)  
ſub modio lateret abſconditus, ſed ſupra candelabrum  
poſitus exemplis vel prædicationibus in do-  
mo Dei lucens, ab errore idololatriæ & caligine  
ignorantiæ ad viam plurimos educeret veritatis.  
Igitur ſuperatis hoſtibus, & rebus in pace compo-  
ſitis, & Alemannis ſuæ ſubiectis ditioni, Rex ouâs  
cum laude triumphi ad patriam redijt. Et vt ſi-  
delis tantæ ſibi gloriæ largitori ſponſor appare-  
ret, feſtinavit ſeruorum Chriſti ſacrâ imbui  
prædicatione, & ſancti baptiſmatis ablui Sa-  
cramentis. Venit autem ad Tullum opi-  
dum, vbi ſanctum agnouit Vedaſtum lauda-  
bili religione ſoli Deo ſeruire, & dulciſſimos con-  
templatiuæ vitæ carpere fructus. Hunc vero ad  
ſanctum Remigium Chriſti cariſſimū ſacerdotē,  
ad Rhemorum properans ciuitatem, ſibi ſocium  
aſſumpſit, quatenus per ſingulos itineris ſui gres-  
ſus ſaluberrimis ab eo imbueretur doctrinis,

*S. Vedaſtus  
primus Clo-  
donei Regis  
catechista.*

*& Ca-*



& Catholicae fidei firmis initiaretur fundamentis: ut paratus fide & virtutum scientia à tanto Pontifice (Reimgio scilicet) spirituali ablueretur lauarco, & ab illo donis caelestibus confirmaretur, quod ab isto diuinâ prius proueniens gratia, Euangelicis coeptum fuerat predicationibus.

Hic ad fontem vitae festinantem deducebat Regem: ille in fonte salutis aeternae venientem abluebat: ambo propemodum paripietate patres, hic doctrina fidei, ille baptismatis vndâ. Vtique aeterno Regi Regem temporalem munus obtulerunt acceptabile. Hi sunt duae obliuae & duo candelabra lucentia, à quibus Rex praefatus in viâ Dei eruditus, miserante Deo portam aeternae lucis ingressus, cum fortissimâ gente Francorum credidit Christo, & facta est gens sancta populus acquisitionis, ut annuncientur in eo virtutes illius, qui eos de tenebris vocauit in admirabile lumen suum. Sacrae igitur Euangelicae auctoritatis narrat historia Dominum Iesum Iericho pergentem, ad confirmandam fide suae maiestatis corda populi praesentis, cuidam caeco ad se clamanti lumen reddidisse oculorum, ut per corporale vnius caci lumen, spiritualiter multorum illuminarentur pectora. Ita & Sanctus Vedastus, Deo Christo donâte, per eiusdem illuminationem caci fidem quam verbo predicauit, in corde Regis miraculo confirmauit: ut Rex ipse intelligen-



ret, tam sibi esse necessarium cordis lumen, quam ceco oculorum illustrationem: & quod diuina operata est gratia per preces famuli sui in ceca nocte castigatis, hoc per sermones eiusdem famuli, eadem operante potentia; per spiritualis intelligentiam lucis in suo pectore perficeretur.

Nam regia excellentia condigno comitatu cum multitudine maximâ populi, iter agentibus illis, venerunt in quendam pagum, qui incolarum terra illius consuetudine Vngise pagus dicitur, prope Reguliacam villam, quæ sita est super florigeras Axonæ fluminis ripas. Et ecce eiusdem fluminis fontem Rege transeunte cum multitudine populi, obuiauit illi cecus quidam huius diutissime solaris expers luminis, forte nec sua cæcatus culpa, sed ut manifestarentur opera Dei in illo, & per illius illuminationem præsentem plurimorum illuminarentur corda spiritualiter. Qui cum intellexisset à prætereuntibus Sanctum Vedaſtum Christi seruum in eodem iter agere comitatu, clamauit: Sancte & electe Deo Vedaſte, miserere mei, & supernam pio pectore diligentius deſce potentiam, ut mea ſubueniat miſeria. Non aurum poſco, nec argentum, ſed ut mihi lumen per ſanctitatis tue preces reſtituas oculorum. Senſit itaque vir Dei virtutem ſibi adēſſe ſupernam, non ad illius caci tantummodo curationem, ſed plus propter præſentis populi ſalutem, totum ſe in ſacras

effudit

Cecus illu-  
minatur  
coram Clo-  
donao.



effudit preces, in diuinâ fidens pietate: & dexteram cum signo Crucis posuit super oculos cæci dicens: Domine Iesu, qui es lumen verum, qui aperuisti oculos cæci ad te clamantis, aperi oculos istius: vt intelligat populus iste præsens, quia tu es Deus solus, faciens mirabilia in celo & in terrâ. Mox ille cæcus, lumine recepto, gaudens perrexit viam suam. In quo loco tempore sequenti, à religiosis viris edificata est Ecclesia in testimonium miraculi istius; in qua orantibus & credentibus vsque hodie beneficia præstantur diuina.

Igitur Rex à viro Dei Euangelicis apprime imbutus disciplinis, & hoc præsentis miraculo in fide firmiter confortatus, nihil moratus in via, nihil dubitans in fide, sed magnâ alacritate animi, festinatione magnâ mentis sanctissimum Pontificem Remigium videre properauit, vt illius sacratissimo ministerio Spiritu Sancto operante in remissionem peccatorum, & spem vitæ æternæ, Catholici baptismatis viuo ablueretur fonte. Cum quo aliquantisper moratus est diebus, vt Ecclesiasticis satisfaceret sanctionibus, & pœnitentiæ (secundum Apostolicum præceptum) prius ablueretur lacrymis, dicente beato Petro Principe Apostolorum: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in nomine Iesu Christi, & in nomine S. S. Trinitatis, celestis mysterij baptismus susciperet. Sciens verò beatus

Clodoneus  
venit ad S.  
Remigium.

Act. 2.

Ponti-



1. Cor. 14.

Pontifex Apostolum dicere Paulum: Omnia vestra honesto cum ordine fiant: statuit diem, quo Rex intraret, ad suscipienda diuina pietatis sacramenta. Quale fuit tunc Sanctis Dei gaudium, qualis in Ecclesia Christi letitia, cum viderent Regem Niniue ad prædicationem Iona de solio maiestatis suæ descendisse, & in cinere sedisse pœnitentiæ: & sub pia Dei sacerdotis dexterâ suæ excellentiæ caput humiliare. Hactenus Alcuinus, in vita s. Vedasti, apud Laur. Surium.

## CAPVT VI.

Abbatia S. Germani de Pratis ad muros vrbijs Parisiensis.

559.

**I**llustris huius monasterij fundator fuit Childebertus Rex Francorum, filius Clodonei primi Regis Christiani, qui cum ex Hispania adtulisset stolam S. Vincentij Leuitæ & martyris, cum alijs plurimis sanctorum reliquijs, iuxta ordinationem s. Hermanni tunc Parisiensis Episcopi, templum in honorem eiusdem s. Vincentij, quod nunc s. Hermanni de Pratis dicitur, excitandum curauit. Rei fidem facit Aymoinus monachus lib. 2. cap. 20. his verbis. Verum Childebertus acceptam S. Vincentij stolam, Parisias desert, edificat amq; solotenus, secundum beatissimi Germani dispositionem basilicam, nomini eiusdem S. Leu-



S. Leuita ac Martyris dedicari fecit. In qua non minimam vasorum partem, quæ eum à Toletò asportasse supra memorauimus, cum capsis Euangeliorum, cruces quoque mirifici operis, aliæque deuotus excellentissima contulit munera.

## DIPLOMA CHILDEBERTI Regis.

**C**Hildebertus Rex Francorum, vir illustris. Recolendum nobis est, & perpensandum, utilius, quòd hi qui templa Domini Iesu Christi reedificauerint, & pro requie animarum ibidem tribuerint, vel in alimoniam pauperum aliquid dederint, & voluntatem Dei adimpleuerint, in æterna requie sine dubio, apud Dominum mercedem recipere meruerint. Ego Childebertus Rex vnà cum consensu & voluntate Francorum & Neustrasiorum, & exhortatione sanctissimi Germani Parisiorum vrbi Pontificis, vel consensu Episcoporum, cœpi construere templum in vrbe Parisiaca prope muros ciuitatis, in terra quæ aspicit ad fiscum Isciacensem, in loco qui appellatur Locotitie: in honore S. Vincentij Martyris, cuius reliquias de Spania apportauimus, seu & sanctæ Crucis, vel Sancti Stephani, & Sancti Fetreai, & Sancti Iuliani, & beatissimi Sancti Gregorij, & Sancti Geruasij, Prothasij, Nazarij, & Celsi pueri, quorum reliquie ibi  
sunt



sunt consecrata. Propterea in honore Domino-  
rum Sanctorum, cedimus nos fiscum largitatis  
nostra, qui vocatur Isciacus qui est in pagis Pa-  
risiorum prope alueum Sequana; vnà cum omni-  
bus quæ ibi sunt aspecta, cum mansis, comma-  
nentibus, agris, territorijs, vineis, siluis, pratis,  
seruis, inquilinis, libertis, ministerialibus (præter  
illos quos nos ingenuos esse præcipimus) cum om-  
nibus appenditijs suis quæ ibi aspiciunt, cum om-  
nibus adiacentijs quæ ibi adagunt, cum omnibus  
quæ nos deseruiunt tam in aquis vel insulis,  
cum molendinis inter portam ciuitatis & tur-  
rimpositis, cum insulis quæ ad ipsum fiscum ad-  
iacent, cum piscatoria quæ appellatur Vanna,  
cum piscatorijs omnibus quæ sunt in ipso alueo  
Sequana, sumuntque initium à ponte ciuita-  
tis, & sortiuntur finem vbi aluëolus veni-  
ens Sanara præcipitat se in flumen. Has  
omnes piscationes quæ sunt & fieri possunt in  
vtraque parte fluminis, sicut nos tenemus &  
nostra forestis est, tradimus ad ipsum lo-  
cum, vt habeant ibidem Deo seruientes vi-  
ctum quotidianum per succedentia tem-  
pora.

Damus autem hanc potestatem, vt cu-  
iuscunque potestatis littora fuerint, vtriusque  
partis fluminis teneant vnā pecticam terræ  
legalem, sicut mos est, ad ducendas naues &

redu-



reducendas, ad mittenda retia & retrahenda, absque vlla refragatione. De argumentis verò per quæ aues passunt capi super aquam, præcipimus vt nulla potens persona inquietare audeat fumulos Dei, sed omnia secure teneant, possideant per infinitas temporum successiones.

Et cum ardis & casis in Parisijs ciuitate, cum terra & vinea & oratorio in honore Sancti Andeoli Martyris, quæ de Herario & Cecaunio, dato pretio comparauimus: omnia & ex omnibus, quidquid ea nos deseruierint, in postmodum pro requie animæ meæ, quando Deus de hac clarissima luce dederit discessum, ipse fiscus qui vocatur Isciacus, cum omnibus quæ ibi sunt aspecta, ipso die ad ipsum templum Domini quod nos edificamus deseruiat, & omnia quæ ibi sunt opus, tam ad lumen quàm in Dei nomine ad stipendia seruis Dei quos ibi instituimus, seu ad ipsos rectores qui ipsos regere habent: omnia & ex omnibus ibi transoluant, eiusque temporibus, & per longa annorum spatia, ad ipsum templum Domini absque contradictione, vel refragatione, aut iudiciali contentione, inspecta ipsa præceptio, omnique tempore proficiat in augmentum.

Et vt



Et ut hæc præceptio cessionis nostra futuris temporibus Deo auxiliante firmior habeatur, vel per tempora inuiolabiliter conseruetur, manibus proprijs vel nostris signaculis. subter infra decreuimus roborare. Datum quod fecit mensis Decembris die sexto, anno 48. postquam Childebertus Rex regnare cœpit. Ego Valentianus, Notarius & Amanuensis recognoui.

Obijt autem Chilpericus Rex anno 559. teste Sigiberto, in hoc suo monasterio conditur.

## CAPVT VII.

*Lerinese S. Honorati monasterium, vulgo Lerius, in diacesi Grassensi, regni Gallia.*

**E**st illustris hæc Abbatia sita in insula Lerina seu Lerino, quam Plinius & Strabo Leronem vocant, in diœcesi Grassensi.

Ex hoc monasterio prodierunt viri quamplurimi sanctitate ac scriptis illustres ut s. Hilarius Archiepiscopus Arelatensis; s. Honoratus; Vincentius Lerinensis; libello aduersus hæreses scripto notissimus; Faustus Rhegiensis Episcopus & alij.

Accessit hoc monasterium, Congregationi Cassinensi, anno Christi 1515. ut constat ex diplomate Leonis X. Plura vide apud Chopinum lib. I. Monasticon tit. 1. & infra cap. 92.

FON



## FONTANELLENSIS Abbatia.

**F**ontanellense monasterium anno 643. ædificare coepit S. *Vuandregisilus*; qui in Virduñensi regione, Nualtchiso patre, ex nobilissima familia natus primum sub Dagoberto, Francorum Rege Comes palatii fuit. Ducta postmodum coniuge, cum eâ virginitatem seruauit: mutuo demum consensu, ipsa sanctimonialis, Vuandregisilus verò factus est clericus. Cumque in monasterijs aliquot pijs sese operibus egregiè exercuisset, Rotomagum venit ad S. *Andoëum* eius urbis Episcopum; à quo Subdiaconus primum, post Diaconus, ac demum sacerdos à beato *Andomaro* Taruanensi Episcopo est ordinatus. Contigit autem postea, *Largiente Erchinoaldo*, qui Dagoberti Regis, filijque eius *Clodonæ*, Maior domus fuit, agrum quandam, ad monasterium exstruendum, acciperet, quem *Fontavellam*, ob riuum eo loco fluentem, nuncupabant. Hunc ergò locum Vuandregisilus, cum nepote suo venerabili *Godone*, coepit excolere; multisque fauentibus in signe ibidem monasterium construxit. Ad quod mox tantus factus est concursus, ut monachorum numerus ad trecentos excreuerit.

*Cæptum est autem hoc opus ab anno Domini-  
cæ incarnationis sexcentesimo quadragesimo*

643.

C

quinto



quinto, sub die Calendarum Martiarum, Indictione tertia, qui erat annus Clodonai Regis undecimus. Est autem hoc cœnobium situm in territorio Rotomagensi, distans à memorata vrbe millibus ferme decem & octo; porro à fluuio magno Sequana, spatio passuum circiter octingentorum.

Adiutor verò huius operis, ac cooperatore insignis fuit *Vuanningus* vir illustris, qui monasteria varia, in his & *Fiscanum* construxit.

*Fiscanum.*

Porro *S. Vuandregisilus*, in Caletani tractus populis, qui id temporis rapaces ac beluina m fere vitam agebant, mitigandis, & Christianæ disciplinæ subdendis, admodum laborauit, multa que alia pietatis opera edidit.

*Apud Suri-*  
*anto. 4.*  
*Induct. 22.*

Hæc exactis illius, à quodam eius penè equali conscriptis, atq; à *Surio* editis, excerptimus.

*S. VValerici monasterium, apud Caletes, in Gallia.*

**S** *VValericus*, B. Columbani Hiberni, qui Luxouienſe in Burgundia, & Bobienſe in Italia condidit monasteria, discipulus, Clotario Francorum Regi gratissimus exſtitit. Eo adiutante istud ipse monasterium ædificauit, in quo hodieque corpore quiescit.

Plura



Plura vide in Actis eius à Surio euulgatis.  
de S. Columbano vide infra cap. 13.

*Centula, hodie S. Richarij monasterium in  
opido eiusdem nominis, apud Caletum  
regni Franciæ opi-  
dum.*

**S** Richarius Abbas & fundator mona-  
sterij Centulensis in agro Pontiuo, fuit  
Dagoberto Galliæ Regi admodum gratus.  
Vitam eius scripsit Alcuinus Flaccus ad Ca-  
rolum Magnum Imp. quæ exstat apud Suri-  
um tomo 2. Meminitque eiusdem Hucbal-  
dus in vita S. Rictrudis Marchianensis. Ex  
his breuem vitæ eius seriem recitat Molanus  
in Natal. SS. Belgij; *Natus est Richarius in  
villa Cētula, prouinciæ Pontiuæ in quâ per pietat-  
is opera; & prædicationis lumina clarus efful-  
sit: sed & in vltramarinas Britannia regio-  
nes lumen veritatis suo sparsit aduentu. Re-  
uersus verò ad patriam, quodam tempore visi-  
tauit equitando Deo deuotam feminam Ri-  
ctrudem, & cum iuxta morem, ipsa ad  
propria ascenso equo, remeanti, filiolum Mau-  
rontum, quem antè sacro baptismo re-  
generauerat, benedicendum daret, immisit  
antiquus hostis equo ferocitatem: sed oran-  
te famulo Dei, puer, qui ceciderat sanus*



S. Richari-  
us prima ia-  
cit funda-  
menta mo-  
nasterij.  
Broilensis in  
Flandria,  
quod est ho-  
die collegiū  
Canonicoꝝ  
S. Amari-  
nū urbe Dua-  
censi.

S. Richarius  
in Broilo-  
bij.

redditus est matri, & equus redditus est mansue-  
tudinē suae. Cum autem ab omnibus honorare-  
tur, monasticam vitam petens, regimen Ecclesiae  
quam in Centulā viro fundauerat, alteri tradi-  
dit. Porro Gissemarus, vir illustris & Christia-  
nae religionis amator & Maurontus, terrarum  
vel silvarum ad Regem pertinentium seruator,  
praebuerunt ei locum manendi in siluā Tristia-  
censi, qui & ipse Maurontus, postea seculari ha-  
bitu depositō, monachus factus est in eodem loco.  
Cumque vir Dei mansionem solitariam prae-  
parasset, Christo monasterium construere inchoa-  
uit. At inibi tantā se mortificatione carnis  
castigauit, ut vix ossa arentia dissipatis iunctu-  
ris sibi adhererent, illum quotidie vincens in e-  
remo, à quo Adam olim victus est in paradiso,  
nec tamen in eremi angustia, lucis columna  
latere potuit, multis ad eum confluentibus  
infirmis, quos sanctarum medicinarum orationum  
sanauit. Praescius tandem diei euocationis suae  
Christi viatico suum iter munivit, & inter  
gratiarum actiones, & verba orationis, spiri-  
tum emisit: conditus à Sigobardo commili-  
tone, ubi suo Regi maximè militauerat. Sed  
non multo post fratres Centulenses cum suo Ab-  
bate Ocialdo corpus tulerunt posueruntque eo in  
loco, in quo etiamnum cum magna meritorum  
gloriā requiescit.

Ex his autem Alcuini verbis colligitur eum

Deo



Deo militasse multo tempore, deinde etiam obiisse, & quiescere in Belgio. Nam Maurontus, ut infra ex Hucbaldo dicemus, monasterium suum Broili inter Flandros construxit.

Huc etiam referendum est ex Bertinensis monasterij Chronicis, propter Normannorum persecutiones, Flandriae Comitem corpus eius & corpus Vualerici ad S. Betini monasterium transluisse. In quo utrumque remansit usque ad tempora Arnulfi secundi, qui Hugoni Capeto, postea Francorum Regi, ea multum reposcenti, tandem restituit.

Haecenus Molanus, Vocatur autem Centula hodie S. Richarij monasterium, opido eiusdem nominis in Picardia finibus inclusum.





## CAPVT VIII.

*S. Martini Treuerense monasterium.*

406.

**S** Martini Treuerense cœnobium, extra & intra, hoc est, ad ipsos muros vrbis infra saxeum pontem vetustissimum in dextra Mosellæ fluminis situm, ex Tetradij Consularis viri priuata domo in scholasticæ congregationis habitationem, inque domum Dei & oratorium commutatum est, anno Christi circiter 406. imperantibus Arcadio & Honorio, ab ipso S. Martino Turonensi Episcopo. Cum enim Treuerim is venisset, & Tetradij Consul is feruum ibi malo spiritu correptum à dæmonio liberaffet, Consul ut esset pro præstito sibi beneficio gratus, S. Martino domum suam dono dedit, hac lege, ut vir Dei ex ea oratorium & domum precatationum S. Cruci dedicatam faceret

526.

Postea verò hanc ipsam precatationum & disciplinæ domum, Barbarorum crebris in Galliam, Belgicam & Germaniam irruptionibus desolatam & planè collapsam instaurauit circa annum Christi 526. & monachis Benedictinæ professionis attribuit quinquagesimus Treuerorum Episcopus *Magnericus* qui abolito S. Crucis prisco nomine S. Martini cœnobium nouo titulo appellari iussit. Eius Antistitis in hoc ipso cœnobio ostenditur tumulus, in subterranea videlicet templi crypta post D. Virginis aram. Tandem post

mul-



multorum annorum curriculum, cum à Nor-  
mannis vastaretur tota ferè Gallia, & in Tre-  
uerim quoque miserè sauitum esset; iterum  
perijt istud S. Martini coenobium; sed mox  
ab Episcopo Treuerorum sexagesimo octauo  
*Rathbodone* vel *Rachabodo*, circa annum Do-  
mini 880. præclare est reedificatum. Tertiò  
verò ab Hungaris incensum, rursus à Theo-  
derico septuagesimo secundo Treuirorum  
Antistite instauratū est circa annum Christi  
960. Ita fere Gaspar Bruschius, in Chrono-  
logia monasteriorum Germaniæ.

880.

960.

## CAPVT IX.

*Benchorense monasterium, in Hibernia.*

**F**Vndatum est hoc monasterium à S. Lomo-  
gello Abbate circa annū Christi 570. mul-  
torum postea monasteriorum mater ac caput  
futurum: utpote à quo Congregatio Bencho-  
rensis, per Angliam, Scotiam, & Hiberni-  
am olim diffusa nomen sumpsit. Ex huius  
congregationis monachis fuit S. *Columbanus*,  
qui Luxouienne in Burgundia monasterium  
circa annum Christi 600. construxit,  
itemque Bobiense in  
Italia.

570.





## CAPVT. X.

*Monasterium Regium S. Aemiliani de Cuculla,  
vulgò de S. Millan de la Cogolla, aliàs de  
San Millan de Suso.*

574.

**S** *Aemilianus*, Patronus ac defensor Hi-  
spaniæ viuere desijt an. Christi 574. die  
duodecima Nouembris. Vitam eius scri-  
psit Braulio, siue Braulius Cæsarangustanæ  
Ecclesiæ Episcopus, exstatque apud Pruden-  
tium Sandouallium Parte I. foundationum  
monasteriorum in Hispania. S. Aemiliani  
magister fuit S. Felix presbiter, cuius trans-  
lactionem descripsit Grimaldus, exstatque  
citato loco apud Sandouallium. Est hoc  
monasterium longè antiquissimum, quod  
numquam vel à Mauris vel ab Arrianis hære-  
ticis fuit violatum.

Huic cœnobio tamquam matri, originem  
suam debent monasteria virorum varia: vt  
S. Martini de Ferran, S. Martini de Thama, S.  
Romani de Doniscle, S. Martini de Mena, S.  
Felicis de Auca, S. Ioannis de Orbananos, S. Vin-  
centij de Ocizta, S. Stephani de Salzedo, S.  
Martini de Mameto, S. Mariæ de Casiera, i-  
temque monasterium vnum monialium,  
videlicet S. Michælis de Peditoso.

De S. Aemiliano hæc legitur inscriptio  
in veteri tumulo

*Purgatissimi Apostoliciq, viri Aemiliani  
corpus*



corpus hic humatum iacet, qui postquam eremiticam vitam multis annis egit & clericalem, tandem monasticam professus, sub regula Benedicti curam gerens Abbatialem, obiit in Domino clarus miraculis & prophetia spiritu, Hera. DC. XII.

In hoc monasterio de Suso spectantur octo arcae lapideae, in quibus quiescunt famosissimi illi septem *Infantes de Lara*, cum suo Ayo, ut Hispanicè vocant seu magistro. Ita sandouallius in dicta parte prima foundationum monasteriorum Benedictinorum in Hispania.

*Infantes  
de Lara.*

Est autem hoc monasterium situm in D. Calagurritana & sancti Dominici de la Calcada.

## CAPVT XI.

### *Salisburgense sancti Petri monasterium.*

**C**elebre istud monasterium, ex quo multi egregij viri ad gubernandos varios Germaniae Episcopatus atque Abbatias prodierunt, construitur atque instituitur per sanctum *Rupertum*, vnà cum Episcopatu Salisburgensi, auxilio & munificentia inclyti *Theodorus* Ducis Bauariae, quem sanctus *Rupertus* in fide Christiana Ratisbonae instituit, & vnà cum suis optimatibus, sacrae regenerationis lauacro abluit, circa annum 580. In hoc monasterio ipse *S. Rupertus*, & septem eius successores sedem Episcopalem habue-



runt; adeoque; tam Episcopatu quam Abbatia  
laudabiliter præfuerunt, ibidemque huma-  
ti sunt; vsque ad *S. Virgilium*, qui crescente  
multitudine Christianorum relinquens Ab-  
batia gubernationem *Gertrico* pio ac docto  
monacho, aliam sedem Episcopalem erexit,  
& insignem basilicam pronam in honorem  
*S. Ruperti* primi Salisburgensis Episcopi ac  
Doctores construxit; quam absolutam anno  
774. ipsemet consecrauit, eoque *S. Rupertum*  
cum duobus eius sacellanis, viris sanctis, ex  
æde *S. Petri* transtulit. De qua re ceterisque  
Abbatibus huius monasterij latius Gaspar  
Bruschius in sua Centuria monasteriorum  
Germania.

*Veltenburgense monasterium, in Bauaria, ad  
Danubium.*

**D**E fundatione huius monasterij sic fere  
scribit Ioannes Auentinus libr. tertio.  
Tempore Theodonis Ducis Bauaria, qui cum si-  
lio Theodoperto à sancto Ruperto Reginoburgij  
aqua cœlesti lustratus est, post extructa tem-  
pla tam Reginoburgij, quam Vtini, Christo  
Deo atque eius Genitrici dicata, atque à san-  
cto Ruperto consecrata (vtrumque adhuc æ-  
dicula seu Capella vetus vocatur) per omnes  
Vbiorum regiones sacra ades passim adifi-  
cata sunt, eademque à sancto Ruperto & so-

cij<sup>s</sup>



cijs consecrata, vt VVelteburgij, quod ipse Valentiam vocat, & extra mœnia Reginoburgensis. sancto Georgio, tutelari Christianorum militum, quadam sancto Martino Maximilianoque templa dicata, quæ adhuc monstrantur.

Alibi idem Auentinus libr. sexto scribit. Eodem tempore Hardonicus Episcopus Reginoburgensis Valentiam, hoc est, VVeltenburg, templum D. Georgio dicatum, pulsus monachis Benedictinis tradit Canonicis Regularibus D. Augustini, accito Hardonico eius ordinis, ex monasterio sancti Floriani in Austria, supra Anassum. Conradus itidem Episcopus Reginoburgensis, quinque post annos monachos Benedictinos rursus restituit, ipsisq; Fridericum præfecit. Monasterium hoc Danubio septum est, quinque millibus passuum infra Abensperg, vbi cerneret Artobrigæ, quæ, teste Ptolemæo, caput olim Vindelicorum fuit, monstrantur. De qua Aduentinus 2. & 3. libro Annalium latius scripsit.

Ita Hundius in Metropoli Salisburgensi.

Mauri monasterium, vulgò Maurismunster, quarto ob Argentina milliari.

Situm est opidum & cœnobium, Maurismunster nuncupatum, quarto lapide ab Argentorato Germaniæ vrbe celebri. Eo loci Seobaldus vir pius ac sanctus oratoriū cōstruxit an. Domini 583. fauente ac dotante Childeberto.

Rege



Rege Austrasie, qui fuit filius Clodonæ I. Christiani Gallorum Regis. Primus Abbas fuit B. Leobardus S. Benedicti Abbatis in Casinensi monasterio discipulus. Secundus fuit Maurus, S. Pirminij Meldensis Episcopi discipulus, à quo coenobium istud, Mauri monasterium est appellatum. Ita Bruschius, lib. cit.

## CAPVT XII.

*S. Medardi monasterium, ad muros vrbs Sueffionensis, in Gallia.*

Visitum in prospectu vrbs Sueffionensis B. Medardi monasterium, cuius vt celebritas & præstantia aliqua ex parte noscatur, placuit nonnulla cum ex Archiuis accepta, tum ex antiquitatis vestigiis ac rudibus obseruata conuertere. Primum vt ad ipsius templi à Carolo Caluo iam eum extructi partem summè orientalem veniamus, duorum illic Regem Franciæ, Clotharij videlicet ac Sigeberti filij eius monumenta, loco veluti subterraneo, visuntur. Non procul inde cernitur B. Medardi lapideum \* sepulcrum, duabus columnis pariter lapideis suffultum. Septemtrionali parte Ecclesiæ, habetur lapis durissimus, humani capitis mensuram quater excedens, quem ex loco Dominicæ

\* Meminit  
illius Greg.  
Turonens.  
lib. de glor.  
Confes. §. 95.

Aiscen-



Ascensionis in Galliam allatum tradunt monachi, monstrantque Domini nostri impressum lapidi vestigium. Ab eo olim cancellis ligneis, reuerentiae ergo, populus arcebatur, in eiusque honorem piam societatem multi inierant. A meridionali parte exstant claustrum, dormitorium, refectorium & hospitale à *Carolo Magno* sumptuosissime ac verè regio opere destructa: quibus itidem ad Austrum versus nuper occurrebat haud ignobile aliud templum *S. Sophiae* cum alio paruo sacello, inter omnia totius Galliae loca sacra, longè antiquissimo: cui sua vel antiquitas vel paruitas ad hoc profuit ne dirueretur, sicut proximum *S. Sophiae* euersum est (heu dolor,) ad colligendos lapides in reparationem murorum urbis. Quo etiam tempore non minus seuitum est in monasterij ambitum; qui ex lapidibus quadris & sectis constructis, octo circiter pedum latitudine tenebatur. Dedito ambitu in quodam privilegio *Odonis Regis* anno 893. apud *Compendium palatii* concessio, anno 5 regni eius scriptum legitur in hæc verba: *Ad thesaurum Sanctorum reparandum, ad sustentandam totius fabricam templi; & ad reintegrandum decorem domus Dei, quæ nuper à Marcomannis igne combusta esse videtur, munitionem quoque muratam & muro cinctam in circuitu ipsius monasterij fieri decreuimus propter insurgentium Danorum insolentiam & memoriam Caroli Imp. qui ean-*

*demi*



dem munitionem iamdiu fecerat, ad petitionem Berthæ Sororis Ludouici Imp. in memoriam B. memoriæ Gregorij summi Pontificis, &cæt. In istius dirutæ nunc murorum partis angulo, urbem respiciente, fuit turris illa, in qua olim detentus fuit Ludouicus pius Imperator. Postremò constat ibi fuisse Regiam Clodonei primi Regis Franciæ Christiani, & apparent hodieque triplicium fossatorum amplissima vestigia.

Haud abs re fuerit his subnectere priuilegium Ioannis Papæ, huic monasterio circa annum 562. concessum, cuius & Baronius meminit ad Martyrologium Romanum S. Iunij & Choppinus lib. 1. Monasticon. tit. 1.

Totius orbis Principibus machinam mundi sub Christo Principe regentibus, presentibus atq; futuris, Ioannes meritorum qualitate infimus, sed Dei gratia S. Romanæ sedis Prælati. Summum esse, quos diuinæ fidei & apostolicæ maiestatis nobilitat religio, constat, ut fructu operum & effecta rerum certa demonstrent obsequia. Ob hoc diuina inspirante gratia, & præcellentissimi Clotharij suadente clementia, monasterio B. Mariæ, & B. Petri, quod est extra Suefforam ciuitatem situm, ubi Dominus Medardus requiescere & Daniel Abbas præesse videtur, hoc priuilegium omnimodis indulgemus, ut terras quas filius noster Clotharius ob salutem animæ suæ dedit, Croniacum scilicet, Attipiacum, & Alunit, pos-

sessio-



sessionem suam in pago Metensi cum Salina, quæ  
vulgò dicitur patella salis, cum omni integritate  
teneant atque possideant cum terris, domibus, æ-  
dificijs, mancipijs, siluis, pratis, pascuis, salinis,  
Ecclesijs & altaribus, habeant atque possideant, &  
teneant. Hoc quoque auctoritate S. Trinitatis,  
& inseparabilis unitatis, vitæ B. Petri Apostoli,  
coram Rege Clotario, & omnibus plebeijs Fran-  
corum, scilicet Archiepiscoporum, Episcoporum,  
Iudicum, & omni populo Christianorum, Roma-  
norum Principum decernimus, ut nullus Regum,  
Antistitum, Iudicum, terras S. Mariæ, & Domini  
Medardi, siue Ecclesias vel altaria, thelonea, de-  
cimas, nonas, banna vel freda exigat, &c. Da-  
tum in Ecclesia S. Siluestri quinto Idus Martij  
anno Dominicæ Incarnationis D. LXII. Edict. X.

Insignem profectò antiquitatem præfert  
hoc priuilegium, sed dubito an numerus an-  
norum Christi non sit adiectus per recenti-  
orem manum.

## CAPVT. XIII.

*Agaunense & Luxoniense monasteria.*

**A**Gaunense S. Mauritij monasterium Ab-  
batiale, apud Sabâdos ex Chablais, fun-  
dauit B. Sigismundus burgundiæ Rex circa  
annum 600. ibidem sepultum. Est id situm ad  
radices montis D. Bernardi.

Est autem S. Mauritius hodie Patronus ac  
tutor



tutor Sabandiae: à quo & ordo apud Sabandos Equestris nomen induit. Fuit is martyrio coronatus circa annum 298. sub Imp. Maximiano, cum esset Thebae legionis caput ac praefectus.

*Luxouium, in Comitatu Burgundiae.*

Sanctum Columbanum Abbatem anno 602. ex Hibernia in Burgundiam venisse, ibique Theoderico Rege permittente, Lugonienſe monasterium inchoasse, tradit Sigebertus in Chronico.

Pulso postmodum, per Theodericum Regem, è Francia Columbano, B. Eustasius eius discipulus Luxouienſi coenobio summa cum laude praefuit.

Est autem Lugonium hodieque illustre monasterium, eiusdem nominis opido, in Burgundiae Comitatu inclusum, quod *Lugeul* vulgò nuncupant. Fuit hoc olim monasterium quoddam quasi Apostolicorum, per Galliam virorum seminarium, ex quo summi illi viri *Andomarus* Morinensis, *Aicharius* Nouiomensis ac Tornacensis, *Chagnoaldus* Lugdunensis, *Ragnarius* Augustodunensis Episcopi, *Bertinus* Abbas Sithienſis, alique plurimi prodierunt.

Ab eodem monasterio olim congregatio reformatà Luxouienſis nomen habuit.

*Bobiense monasterium, in Italia.*

**H** Vius auctor fuit S. Columbanus, patria Hibernus, qui & Luxouienſe in Burgundia



Gundia, ut dixi, cœnobium excitauit. De quo sic Sigebertus in Chronico:

*Sanctus Columbanus à Theoderico, Regē, instinctu Brunichildis auia, expellitur Franciā; qui post, relicto Gallo discipulo suo in Alemannia, cœnobium Bobium construxit in Italia.*

Ceterum B. Columbanus paullo post Eustasium, monachum & discipulum suum, ex Italia in Galliam remisit, qui vnā eum S. Vualerico, B. Columbanī pariter discipulo, Luxouienſe monasterium laicis ademūt, & monasticā ibi disciplinā instaurauit. Consule Ionam in Vita S. Columbanī, & Acta S. Vualerici apud Surium.

S. Columbano Anno 622. iuxta Sigebertum in Chronico, aut anno 615. iuxta Baronium, defuncto, successit in regimine Bobienſis monasterij Attila.

## CAPVT XIV.

*S. Maximini monasterium, extra muros vrbs Treuerensis.*

**S** Maximini potentissima vetustissimaque Abbatia, extra vrbs Treuericæ Nigram vel Martiam portam, in ipso campo Martio, à regione cœnobij S. Mariæ ad Martyres, prope S. Paulini olim cœnobium, nunc verò Canonicoꝝ ſecularium collegium ſita, ex

D

regio



regio D. Helenę palatio templum Dei domicilium factum, fundatur circa annum Domini 333. ab ipso Christianissimo Imperatore Constantino Magno, ad petitionem matris ipsius S. Helenę, quę sanctam Crucem Dominicam inuenisse legitur. Eo ipso nimirum tempore, quō Agritium Patriarcham Antiochenum Treuerim accersitum, eiusdem vr̄bis Episcopatuī pręfecerat. Et hanc istius cęnobij originem veram ac certam esse, Dagoberti Galliarum Regis subsequens diploma, Memiliano decimo tertio eius loci Abbati, anno 643. datum abundē & luculenter testatur.

*In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Omnium Christianorum nouerit industria, qualiter ego Dagobertus Rex potentissimus, cum conuenienti consilio Episcoporum meorum Comitumq; Legatos de mea parte ad Abbatē Memilianum direxi, mandans ei vt diligenter inquireret, indeq; per seipsum indicaret quibus auctoribus illud monasterium, S. Maximini constructum, vel cuius imperio à pristinis temporibus esset subiectum. Hanc rogationem Abbas cum fratribus sollicitè percipiens, perlectisq; in eodem loco quibusdā vetustissimis chartulis inuentum est, id ipsum monasterium Constantini Imperatoris fuisse regale templum, atq; iussu eius dedicatum in honorem S. Ioannis Euangelistę à S. Agritio venerabili Archiepiscopo, in quo*



quo videlicet templo (vt idem pater monasterij  
noſtræ Regalitati patefecit certa relatione)  
Helena ſacra Dei famula potente & fauente  
ſupradictus Imperator pauperes Chriſti congre-  
gauit, eiſq; virum Dei Ioannem prepoſuit, vt in  
ſeruitio Dei ſemper vacarent, & pro ſe orationi-  
bus inſiſterent; & inſuper illius loci habitatio-  
nem alia perſonæ nolint ſubdere, nec ſua ſucceſ-  
ſorumq; Imperatorum poteſtati. Hiſ rebus ita  
eſſe firmiter intellectis; regio more conſtituo at-  
que firmiſſima inſiſtione præcipio, vt nullus vn-  
quam proteruè illud monaſterium, in quo Abbas  
ſupradictus præeſſe videtur, audeat inire vel vl-  
lam inhumanitatem illi violentè inferre. Igi-  
tur vt aſidua recordatio mei meorumq; præſen-  
tium maneret in prædicto monaſterio: ipſorum  
S. Maximini præbendariorum victualia ſub præ-  
memorato Imperatore conſtituta, meis ex parte  
prædijs augere curauī, quorum nomina hæc ſunt.  
Rannis, Craſſiacum, Luncuich, Regiodola,  
Vallis, Polich, Budeliacū, Taleuanc, Loania;  
hæc loca ad regiam curtem, quæ dicitur decima,  
pertinent, quam curtem cum omnibus rebus  
ad eam pertinentibus, hoc eſt, quidquid præ-  
diij viſus ſum habere à fluuio qui nuncupatur  
Rubera, vſque ad ſiluam quæ dicitur Idec, S.  
Maximino Præſuli in perpetuam hereditatem  
contradidi.



Insuper etiam cum consilio & rogatu meo-  
rum Principum, cateruis ibi Deo deseruituris,  
hanc legem firmiter & perpetualiter in poste-  
rū habendam decreui scilicet vt centenorum  
ibidem monachorum semper integra maneat &  
inconuulsa congregatio; excepto, si Imperato-  
rum Principumue per secula succedentium be-  
neuolentia prædijs augmentetur vel thesauris.  
Et si propter paganorum vel infidelium Christia-  
norum deuastationem eisdem Christi seruitori-  
bus penuria ultra modum ingruerit, & per the-  
sauri effusionem expelli nequiverit; Dei omni-  
potentis & mei meorumq; successorum habeant  
licentiam, allodium cum familia à fidelibus illo  
contradicentibus dandi & vendendi, antequam  
Dei destruantur seruitia. Et vt istius chartule  
confirmatio firma in eum permaneat, describi  
eam precepi, & nostro sigillo eam inde firmaui.  
Actum pridie Nonarum Aprilis, anno regni no-  
stri duodecimo, Mogantia feliciter, Amen. Si-  
gnum Dagoberti Regis.

Monasteriū hoc, ordinis primum S. Basilij,  
& regulæ Orientaliū monachorum, ab omni  
Archiepiscopali & Episcopali iugo exēptum,  
in temporalibus soli Imperatori Romano, in  
spiritualibus soli Summo Pontifici immēdia-  
tē subest. Abbas verò huius loci priuilegijs,  
& dignitatibus ac singularibus prærogatiuis  
sic insignitus est, vt Decanus plerumque se-  
ptem præcipuarum Ecclesiarum Treuerensiu-

um &amp;



um & Imperatricis Archisacellanus effectoleat. Deuastatum est aliquoties à Barbaris, post tempora Regis Dagoberti, in Germaniam & Gallias excursions facientibus; sed ab imis fundamentis renouatum, ac præclare restitutum legitur, & denuò consecratum, benedictinæque professionis monachis traditum ab *Hildulpho* Archiepiscopo Treuerorum, anno Christi circiter 764. Quo anno & Treuerorum Archiepiscopi *Agricius*, *Maximus*, *Nicetius*, ac *Basinus* de prioribus tumulis leuati, & vna cum trecentis Thebæ legionis Martyribus, honorificentius in recens instauratæ S. Maximi basilicæ minore crypta, quæ est sub summo altari, humati sunt. Sub Arnulpho etiam Imperatore à Normanis vastatum, ac solotenus deletum, mox ab *Ogone* Abbate præclare reedificatum est. Sic ferè Bruschi.

764.

## CAPVT XV.

*Vest monasterium, apud Londinum Angliæ metropolim.*

**I**N prima enascentis Ecclesiæ apud Britannos infantia, imperante Antonino Pio, templum Apollinis, ad occiduam vrbis Londini partem, vbi hodie cernitur *Vest monasterium*, terræ motu corruit. Ex eius ruinis *Lucius* Rex Britannorum, qui Romanorum per-

D 3

missu



170.

605.

1220.

missu hinc regnavit, ad Christi cultum anno salutis 170. Ecclesiam erexit, quæ postea, cum persecutionis tempestas sub Diocletiano Britanniam pervasisset, penitus subversa est. Locus iam inde diu neglectus, & spinis oblitus iacuit, unde ab Anglosaxonibus *Thornæ* & *Thorney* dictus erat: donec *Sebertus* Rex Orientalium Saxonum siue Essexiæ, & Middlesexiæ, qui primus inter eos Christo nomen dedit, eò loci monasterium Christo & B. Petro, anno Christi 605. posuit: unde ab occiduo situ & monasterio, *Westminster* nominari coepit. Sed cum Danico ardente bello, prostratum esset, *Dunstauris* Cantuariensis Archiepiscopus, fauente *Eadgaro*, Rege id renouavit, & pauculis monachis concessit. Postea *Eduardus* Rex, cognomento Confessor, sibi in sepulturam, & Benedictinis monachis in monasterium, ex decimis omnium suorum reddituum, magnifice construxit, & patrimonijs tota Anglia dispensis ditavit. Iam inde hoc monasterium, cum Regum Angliæ inauguratione, & Coronatione tum etiã sepulturâ, & Regaliũ repositione longè fuit celeberrimũ. Verum post 160. annos, hæc *Eduardi* fabrica subvertit *Henricus* III. novamq; Ecclesiam speciosâ structura multiplici marmorearum, columniarum ordine tecto laminis plumbeis conuestito, quinquaginta annorum opere, ipse primum ponens lapidem anno 1220. exædificavit. Quam Abbates ad occasum plurimum auxerunt: *Henricus* autem VII. anno

1502.



1502. in suam suorumque sepulturam ad ortum, sacrarium admirandæ elegantiae (Orbis miraculum vocat Selandus, omnem enim elegantiam in illo acervatam dicas) impensis 14000. librarum Anglicarum adiecit in quo sepulcrum eius splendidissimum & maximum ex ære solido hodieque cernitur.

Expulsis postea monachis per Henricum VIII. Angliæ Regem, cum ab Ecclesia Romana descivisset Canonici sunt substituti, sed à sacris Ecclesiæ Romanæ alieni, qui coniugati & ritu Anglicano viuentes, etiamnum VVestmonasteriense coenobium incolunt, cum scholasticis quadraginta, quos Alumnos Regios vocant.

Ceterum ut in Francia ad Sidionysium tumuli Regum Franciæ, sic in Angliæ VVestmonasterij omnium pænè Regum Angliæ sepulcra admodum sumptuosa spectantur. Haud procul à dicto monasterio visitur Palatium Regium, quod Reges Britanniae plerumque incolunt.

Fuerunt autem quàm plurima olim in Angliæ benedictinorum monasteria, quorum origines ac progressus Guil. Malmesburienfis & alij rerum Anglicarum scriptores fusè commemorant.

Canutus Angliæ Daniæque Rex, qui anno 1030. obiit, duo exstruxit coenobia ordinis benedictini, vnum eorum apud Anglos, in Nortfolchiæ intra pa-

1030.



*In Noruegia  
Monasteriū.*

ludes quod S. *Benedicti* vocatur, septimo lapide à Nordouico Nortfolchiæ Comitatus opido: alterum vero in Noruegia. Ita tradit Polydorus Vergilius lib. 7. hystoriæ Anglicanæ sub finem.

## CAPVT XVI.

*Regni Gallia monasteria varia.*

612.

**A**thanacensis seu Athanatenfis Abbatia fundata est Lugduni in Gallia anno 612. sedente Aetherio Archiepiscopo Lugdunensi. Alij volunt Athanacum diu antea à Salonio Archiepiscopo exstructum.

Brantholinæam Abbatiam in diœcesi Petracouienfi vulgò *Brantholine en Perigort* ad Dronam fl. anno 769. Carolus Magnus Imperator condidit. Eam ipsam Petrus Marolius Vaurensis in Aquitania Episcopus Societati Casalis *Benedicti* an. 154. annectendam curauit.

Sic Georgius Amboisius Legatus Apostolicus cœnobîa S. Menulphi, Larentonij S. Laurentij & Hidori an. 1567. eidem sodalitiò copulauit. Ex quibus quidem tria priora in Bitinicensi tractu sita sunt; Prioratus verò Iſidori, Gallice *d'yſeure*, Molyrus Boiorum opido proximus, est in d. Augustodimenfi.

In vrbe Remensi est archimonasterium S. *Remigij* titulo nobile, quod Hercambaldus

Abbas



Abbas S. benedicti Floreacensis ad Lugerim circa an. Christi 947. reformauit teste Frodoardo lib. 4. historiae Remensis cap. 23 & 33. In hoc monasterio *Chrisma celeste* sedulo adseruatur, Gallorum Galliae Regum vnctioni destinatum, vt testatur Nicolaus Aegidius in Annalibus Franciae: de quo sacro Remensi simbolo fuse Renatus Chopinus, ex Aimoino, Frodoardo, alijsque scriptoribus, lib. 3. Domanij Francorum & in Panegyrico, quem Henrico I V. Regi an. 1594. dicauit. Istud S. Remigij monasterium hodie vnitum est cum Archiepiscopatu Venensi.

*Vizeliacense* monasterium, in d. Autisiodorensi, vulgò *l'Abbaye de la Magdelaine de vege-lay en Auxerrois*, fundatum fuit à Gerardo Comite Niuernensi eiusque coniunge Bertha pro virginibus benedictinis, quod deinde iussu Pontificio translatum est ad monachos eiusdem ordinis. Horum Abbati Martinus V. anno. 1417. ius minorum infularum, aliaque multa erogauit. Fuit hoc monasterium olim Congregationis Cluniacensis: sed postea secularisatum est, vt loquitur chopinus, hoc est pro monachis, canonici sunt substituti, per Romanum Pontificem.

*Vsarchia* monasterium S. Petro sacrum in dioecesi Lemouicensi condidit Hildegarius Lemouicensis Episcopus, paterno Geraldii iussu Procomitis Lemouicensis.

S. *Suplitij* monasterium Bituricense reformatum, fuit à Guilielmo cambraio

247.



Archiepiscopo Bituricensi sub annum 1496. ut Casolis Benedicti coenobium reformatum fuit an. 1488. auctore Petro Cadoeto Archiepiscopo Bituricensi.

612.

Abbatia d' Aisnāy Lugduni fundata fuit à Brunechilde Sigeberti Austrasie Regis coniuge anno 612. Sed eadem destructa fuit à Vandalis tempore Eucherij Archiepiscopi Lugdunensis.

Abbatia S. Audoenij in Vrbe Rotomagensi. nomen habet à S. Audœno, olim Dagoberti Regis Gallie Cancellario, post Archiepiscopo Rotomagensi.

928.

Abbatiam S. Cypriani in Siburbijs Protavienfibus exaëdificata est à Froterio Protoqui-  
mo Episcopo qui ibidem sepultus est circa anno 928. Ita Chopinus lib. 1. monasticon tit. 1.

Abbatia Quincei vulgo de Quincay est apud Pictones sita.

639.

Iorrense virginum monasterium in d. Meldensi, vulgò Iouerre. fundavit S. Audœnus Archiepiscopus Rotomagensis circa an. 639. ut testatur Aimonus, historiae Francorum lib. 4. cap. 41. & Guil. Nangiacus in Chronographia.

Cormeriacum Abbatiam, Commercij, fundavit in d. Turonensi Itherius, monachus antea S. Martini Turonensis; approbante Carolo Magno Imperatore: ut scribit Chopinus lib. 2. de Politia sacra, tit. 6.

Abbatiam S. Nicolai, prope muros urbis

Ande-



Andeganensis, *Falco Comes Andeganensis* excitavit: *Abbatiam de Oratorio*, vernaculè *du Lauroux*, *Richardus Angliæ Rex*, Andium-que comes prædijs auxit: teste *Choppino* lib. 3. tit. 1.

*Tironensis* Abbatia in *Pertico*, *Tiron au Perche* est caput Congregationis *Tironensis*, habens sub se *XI V.* Abbantias, inter quas sunt *Pelisse*, *Asuieres*, *Ferrieres*, *Guedennay*, *Ioudieu* apud *Lugdunum*, & *Charisij*: vt testatur *Choppinus* in *Monasticis*. De monachis *Tironensibus* fusè *Iacobus Vitriacus* cap. 20. *Historiæ Occidentalis*.

Maius-monasterium, *Mairemonstier*, haud procul ab vrbe *Turonensi* situm, non sine voluptate anno 1610. lustrauius.

*S. Geremari* Abbatia, in diœcesi *Bellona-*genſi ſita eſt.

*Ferrariensis* Abbatia, *de ferrieres*, aliàs *B. Mariæ de Bethlehem*, in *Senonibus*. Huius loci Abbas quondam fuit *Lupus Caroli Cæni* Consiliarius, cuius exstant *Epiſtolæ*.

*S. Acheoli* Abbatia, *S. Acheul*, in d. *Ambianensi*.

*S. Fusciani* in nemore, *S. Fusian au vois*, in diœcesi eadem.

*Vindocinensis* s. *Trinitatis* Abbatia exempta, *de Vendosure*, in d. *Carnotensi*.

*S. Mariæ de Silua maiori* coenobium in ora maritima *Burdigalensi*.



S. Columbæ iuxta urbem Senonensem Abbatia accessit congregationi Casalis Benedicti anno 1581.

S. Vincentij Abbatia iuxta urbem Ceno-  
manensem, vulgò *Maus*.

S. Benedicti Flouacensis Abbatia ad Luge-  
rim in d. Auclanensi : *Fleurei sur Loire*.

Rhotonensis Abbatia in d. Venetensi, a-  
pud Britones, *Rhodon de Vennes*.

S. Cornelij Abbatia in opido Compen-  
dio d. Sueffionensis, *Compeigne*.

In Galliam porrò benedictinum institu-  
tum primus intulit S. Maurus Abbas S. Bene-  
dicti discipulus ex Italia per Episcopū Ceno-  
manensem Bertigrammum euocatus, quem  
Theodebertus Francorum Rex, in monaste-  
rijs fundandis profusa quadam liberalitate,  
mirificè adiuuit. De S. Mauro sic legitur in  
Breuiario Romano. Maurus nobilis Roma-  
nus, puer à patre Eutychio Deo & S. Benedi-  
cto oblatus, breui tantum diuina gratia pro-  
fecit, vt ipsi magistro admirationi esset : qui  
illum sæpè, veluti regulis obseruantia &  
virtutum omnium specimen, ceteris disci-  
pulis ad imitandum proponebat. Cuius ad-  
huc adolescentis, illud admirabilis obedi-  
entia exemplum à S. Gregorio Papa comme-  
moratur. Nam cum Placidus monachus in  
lacum prolapsus, aquarum impetum raperetur  
S. Patris iussu accurrens Maurus, & super a-  
quas incedens, socium capillis apprehensum,  
ad terram attraxit. Missus in Galliam ab eo-  
dem



dem S. benedicto, celebri monasterio extructo, cui annos quadraginta præbuit, monasticam disciplinam mirifice propagauit. Denique sanctitate & miraculis clarus, septuagenario maior migravit in cælum, anno salutis 565. Ita Breuiarium Romanum 15. Ianuarij.

## CAPVT XVII.

GALLIAE BELGICAE  
TYPVS, ET BENEDICTI-  
NORVM IN EA COE-  
NOBIO RV M ELEN-  
chus.

**G**allia nostra Belgica, seu Germania inferior, prouincijs hodie (nam de antiquis eius terminis nihil hic attinet dicere) septemdecim continetur. Sunt in his, vt vulgò loquimur,

## DVCATVS

Brabantia,  
Limburgi,  
Luceburgi,  
Geldria.

## COMITATVS

Flandria,  
Artesia,  
Hannonia,  
Hollandia,  
Zelandia.

Namurci,  
Sutfanæ.

## MARCHIONATVS

S. Imperij.

## DOMINIA

Frisia Occidentalis,  
Machlinia,  
Vltraiecti,  
Transsalanæ ditionis,  
Groninga.

*Sunt*



*Sunt autem monachorum ex instituto S. BENEDICTI viuentium cœnobia,*

IN BRABANTIA.

**G**emblacensis Abbatia, in diœcesi Namurcensi. Vulgò *Gemblours*.

*Affligemium*, Abbatia diœcesis Machliniensis *Afflighem*.

*Fliderbeca*, Abbatia diœcesis eiusdem, *Vlierbeke*.

*Capellensis* Præpositura, in vrbe *Bruxellensi*, diœcesis eiusdem. *Capelle*.

*Monialium cœnobia:*

*Corteberga*, diœcesis Machliniensis Abbatia. *Cortenbergh*.

*Forestum*, Abbatia diœcesis eiusdem. *Vorst*.

*Bigardia Maior*, Abbatia diœcesis eiusdem. *Grooten Bygarden*.

*Bigardia minor*, Prioratus diœcesis eiusdem *Kleinen Bigarden*.

IN DVCATV LVCEBVGENSI.

*Epternacense S. Vuillibrordi* monasterium, Abbatia monachorum, in diœcesi Treuerensi, *Echternach*.

*Munsteriensis B. Mariæ* Abbatia, itidem monachorum, eadem in diœcesi. *Munster*.

IN DVCATV GELDRIÆ.

*Hulsbergensis* olim monachorum fuit Abbatia, apud *Hattemum* opidum. *Hulsberghen*.

*Clara Aqua*, Virginum cœnobiũ, apud idem opidum. *Claer VVater*.

IN



## IN FLANDRIAE COMITATV.

*Blandiniense S. Petri cœnobium, Abbacia  
diœcesis Gandensis. S. Peeters op den Blandin-  
berch.*

*S. Bauonis Gandensis Abbacia. S. Baefs. Nunc  
est Cathedrale Canoniorum collegium in  
vrbe Gandensi.*

*S. Amandi Elnonensis Abbacia, diœcesis  
Tornacensis. l' Abbaye de S. Amand.*

*Marchiana, Abbacia diœcesis Atrebatensis.  
Marchiene.*

*S. Martini Tornacensis Abbacia, diœcesis  
Tornacensis.*

*S. Vuinocibergensis Abbacia, diœcesis Ipre-  
nsis. S. VVinocx Berghen.*

*Aldeburgensis S. Petri Abbacia, in diœcesi  
Brugensi. Oudenborch.*

*Einhamum, Abbacia diœcesis Machlinien-  
sis. Eenham.*

*S. Hadriani Gerardi montensis Abbacia, diœ-  
cesis eiusdem. Geersberghen.*

*S. Andrea Brugensis Abbacia, diœcesis Bru-  
gensis.*

*Cœnobium S. Ioannis in Monte, Abbacia  
olim apud Teruanam Morinorū, nunc in diœ-  
cesi & vrbe Iprensi sita. S. Jean au Mont.*

*Hamaticum, Prioratus Hamay.*

*Virginum cœnobia.*

*Messinensis Abbacia, in diœcesi Iprensi.  
Meessenen. (eiusdem.)*

*S. Godeleua cœnobium Gistellense, diœcesis*

*Bor-*



*Borburgensis* Abbatia, in diœcesi Audomaropolitana *Borburch*.

*Merchemensis* Abbatia, in diœcesi Iprensi, ætate nostra desijt. *Merckem*.

*Silua monialium*, diœcesis eiusdem cœnobium, ante turbas istas ciuiles in agro, nunc in vrbe Iprensi ædificatum. *Nonnen Bossche*.

#### IN ARTESIA.

*S. Velaſti* Abbatia, in diœcesi & vrbe Atrebatensi, l' *Abbaye de S. Vasten Arras*.

*S. Bertini* Abbatia, in diœcesi & vrbe Audomaropolitana, l' *Abbaye de S. Bertin en la ville de S. Omer*.

*Blangiacum*, Abbatia diœcesis Atrebatensis. *Blangy*.

*Alciacum*, Abbatia diœcesis eiusdem.

*Hammensis* Abbatia, in diœcesi eadem. *Ham*

*Arquensis* Præpositura, primo lapide ab Audomaropoli. *Arques*.

*Berclausensis* Præpositura, apud Basseiam Flandriæ opidum, ad Deulam fl. sita. *Berclau Monialium cœnobium*.

*Strumensis* Abbatia, in diœcesi Atrebatensi. *Estrun*.

*Auennensis* Abbatia, diœcesis eiusdem. *Auesnes*.

#### IN HANNONIA.

*S. Gisleni* Abbatia, in diœcesi Cameracensi. l' *Abbaye de S. Gislain*.

*Altus Mons*, Abbatia diœcesis eiusdem. *Haultmont*.

*Crispi-*



*Crispinium*, Abbatia diœcesis eiusdem.  
Crespin.

*Maricolensis* Abbatia, in eadem diœcesi.  
Maroille.

*Hasnoniū*, Abbatia diœcesis eiusdē. *Hasnon-*

*Latia*, Abbatia diœcesis eiusdem. *Liesy*.

*Aquicinctum*, Abbatia in diœcesi Atreba-  
tensi. *Anchy*.

*S. Dionisij* Abbatia in *Boqueroia*, diœcesis  
Cameracēsis. *l' Abbaye de S. Denis pres de Mons*  
*en Haynault*.

*S. Saluū* coenobium, Prioratus instituti  
Cluniacensis, in diœcesi Cameracēsi. *S. Saul-*  
*ue, pres de Valenchiennes*.

*Hasprens* Præpositura, diœcesis eiusdem.  
*Haspre*.

*Virginum monasteria.*

*Dononium*, Abbatia nobilis in diœcesi A-  
trebatensi. *Denain*.

*Bethlehemiticum S. Mariae* coenobium, a-  
pud Montes Hannoniæ, in diœcesi Camera-  
censi. *Bethlehem*.

*Gislengeniense*, monasterium inter *Athum*  
& *Angianum* Hannoniæ opida *Ghislenghien*.

IN HOLLANDIA.

*Egmundana* Abbatia, monachorum, in diœ-  
cesi Harlemensi. *Egmont*.

*Rhenoburgensis* Abbatia, nobilium olim  
virginum eadem in diœcesi. *Rhynlburch*.

IN COMITATV NAMVRCENSI.

*S. Gerardi Broniensis* Abbatia monacho-  
rum. *l' Abbaye de S. Gerard*.



*Vualciodorensis* Abbatia, itidem monachorum, in eadem dioecesi. *VVaßors.*

*Hasteriensis* Prioratus, itidem monachorum. *Hastiers.*

#### IN FRISIA OCCIDENTALI.

*S. Odulphi Stauriensis* Abbatia monachorum, in dioecesi Leouardenſi: *Sinte Odolphus klooster tot Stauerem.*

*Fosuerdensis* Abbatia, itidem monachorum, eadem in dioecesi. *Fosvverdt*

*S. Ioannis Euangeliste* cœnobium virginū, in *Smalenede*, apud vicum *Beets* ut audio.

*Heimelense S. Nicolai* monasterium.

#### IN PROVINCIA AC DIOECESI

##### VLTRAIECTINA.

*S. Pauli* Abbatia in vrbe *Vltraiectina.*

*Ostbroucana* Abbatia. *Oostbroeck.*

*Monialium* cœnobia.

*Monasterium Dominarum*, Abbatia. *Vro-  
vvenklooster.*

*Aldevicensis* Abbatia. *Aldervijck.*

#### IN TRANSISALANA PROVINCIA.

Fuit olim monialium cœnobium, *Nigra  
Aqua* nuncupatum. *Syvart Vvaeter.*

Item *Vuerfeloense*, ut aiunt, virginum pariter monasteriū, s. *Remigio* sacrū. *Vverseloo.*

#### IN DITIONE GRONINGENSI.

Fuit olim *Rottomense* monachorum, ut audio, cœnobium. *Rottum.*

*Virginum* Monasteria.

Fuerunt ista, ut audio *Monasterium vetus*,

vulgò



vulgò Olde klooster.

Tesigna vulgò Tyfingheim.

Monasterium *S. Catharinae in Syon*, vulgò in *Selvaert*, in suburbano Groningensi.

IN DITIONE AC DIOECESI  
CAMERACENSI.

*S. Andreae* Abbatia, in castello Cameracensi  
l' *Abbaye de S. Andrieu au Chasteau en Cham-*  
*bresis*.

*S. Sepulcri Dominici* Abbatia, *S. Sepulchre*.

*Fidemium*, Abbatia. *Femy*.

*Hunonis curia*, siue *Hunocurtensis* Abbatia,  
in dioecesi quidem Cameracensi, sed in diti-  
one regni Galliae sita. *Houncourt*.

IN DITIONE LEODICENSI.

*Laubium*, Abbatia dioecesis Cameracensis.

*Lobr*.

*Stabuletum*, Abbatia dioecesis Leodicensis.

*Stauelo*.

*Malmundarium*, dioecesis eiusdem, *Mal-*  
*medy*.

*S. Trudonis* Abbatia, eadem in dioecesi,  
l' *Abbaye de S. Tron*.

*S. Huberti* Abbatia, in eadem dioecesi.  
l' *Abbaye de S. Hubert en Ardenne*.

*S. Iacobi Leodicensis* Abbatia.

*S. Laurentij* Abbatia, ad muros urbis Leo-  
dicensis.

*Florinensis* Abbatia, dioecesis Leodicensis.  
*Florennes*.

*S. Catharinae* coenobium, virginum, eadem  
in dioecesi, apud *Trudonopolim*, & alia.



## CAPVT XVIII.

*Album castrum vel VVeissenburgum in d. Spi-  
rensi.*

**Q**uatuor sunt S. R. I. Abbatix ducali  
ignitate conspicuæ, *Fuldensis*, *Campidonensis*, *Murbacensis* & *VVeissenburgensis*; Fundatum est autem *VVeissenburgense* monasterium anno 623. Auctum verò  
ac dotatum anno 664. à Dagoberto Galliarum Rege: cuius filia *Irmina* fundatrix & Abbatissa horrei Treuerensis in templo *VVeissenburgensi* est condita. Diploma primæ  
foundationis exstat apud Ioannem Trithemium, libro de Regum Gallix origine, ac rebus gestis, & apud Munsterum in Cosmographia. Dedicatum est autem S. Petro Apostolorum & S. Stephano martyrum principibus. Ceterum an. 1526. monasterium *VVeissenburgense*, in Præposituram est commutatum, quæ an. 1546. Episcopatu Spirensi est annexa, Paulo III. Romano Pontifice & Carolo V. Imp. consentientibus. Ita Bruschius in Chronologia monasteriorum Germaniæ.



CAP.



## CAPVT. XIX.

*S. Galli monasterium, apud Heluetios.*

**S** Galli siue Sangallensis Abbatia longè potentissima, quæ est sita intra muros vrbs Sangallensis, & totam ferè Turgoniam, Comitatumque Dockhenburgensem sub sua potestate habet, ædificari cœpta est, non Dagoberti Magni Galliarum Regis, vt aliqui nugantur, sed Sigiberti Austrasie Regis, & Fridbergæ coniugis eius, *Conczonis* vel *Gunzonis* Sueuorum Ducis, Vberlingæ tunc temporis ad lacum Acronium residentis filiæ (quam S. Gallus à dæmonio liberarat) impensis ac donationibus, anno circiter 630. ad S. Galli Scoti, Alemannorum Apostoli petitionem. Templum, quod hodie adhuc conspicitur pulcherrimum atque amplissimum, exstructum est anno 830. consecratum anno 836. ab Hunnis vastatum ac spoliatum anno Christi 937. Hæc Abbatia postea ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, Comitibus ac Baronibus multis, in primis verò ab *Hedovvige* Comitissa de *Eberstein*, Imperatoris Henrici Aucupis filia, ita est locupletata & aucta, vt aluerit olim Canonicos 150. & Abbas Sangallensis legatur mille equitum comitatu Argontinam esse ingressus anno Christi 1361. cum Vvalterus Baro à Gerolczech in Episcopum Argentinensem electus introdu-



ceretur. Dedit hoc monasterium toti Germaniæ multos eruditos homines, multosque Episcopos Constantienses, ac varijs Germaniæ monasterijs Abbates: & dicitur habere nobilissimam (studio & industria monachorum) optimorumque codicum multitudine refertissimam bibliothecam. Oppidum ipsum Sangallense annos ante quingentos fossis & mœnibus muniri cœpit: estque nunc Rhætorum siue Heluetiorum ortopagensium societati & confederationi coniunctum, fuit autem S. Gallus, natione Scotus, S. Columbani discipulus, Brigantinorum & Arbonensium Apostolus, obiitque anno 640. Arbonæ (quod præclarum hodie est opidum ad lacum Acronium è regione Morsenburgii in littore Heluetico situm) sepultus. Ita ferè Bruschi in Chronologia monasteriorum Germaniæ.

In S. Galli monasterio vixerunt quàm plurimi Abbates ac monachi, sanctitatis opinione illustres, quorum corpora hodieque ibidem observantur.





## CAPVT XX.

*S. Bertini cœnobium Sithiense intra muros  
urbis Audomaropolitanæ in Artesia.*

**C**lotharius Rex & filius eius Dagobertus, videntes fidem Catholicam per bella valde debilitatam, & messem Domini multam, viros Catholicam & legem Dei benè doctos miserunt in messem Domini laborare. Processerunt igitur (secundùm quod diuersimodè necessitas exigebat) Adoënus & Philibertus Rotomagum, Lupus & Amatus Senones, Pharo Meldos, Acharius & Eligius Nouiomum, Audomarus Taruanam, Auber- tus Cameracum, Amandus Flandros & Menapos, Remaclus Traiectum, Richarius & Iudocus Pontium, Agilus Briam, Gislenuus & Landelinus Hannoniam, VValaricus Vimiacum & alij plures loca, quibus dati sunt, sua sancta prædicatione & pijs moribus illustrarunt. Ex quibus Amandus Blandiniense, Elnonense, S. Baonis & Marchianense, Agilus Resbacense, Landelinus Crispinium, Gislenuus Cellam, Richarius Centulam, VValaricus & Iudocus singuli monastetia construxerunt. Specialiter sancti Bertinus, Momolinus, & Ebertramnus, tres veri cultores sanctæ Trinitatis, talentum Domini nolentes abscondere, vel sine lucro reportare, de Luxouio Burgundiæ monasterio venerunt in

*S. Bertinus  
quiescit in  
hoc suo Si-  
thiensi mo-  
nasterio.*

*S. Bertinus  
cum duobus  
socijs Luxo-  
uio venit in  
Franciam.*



*Ad S. Au-  
domarum  
Morinen-  
sem Episco-  
pum.*

Franciam verbum vitæ feminantes, & à Re-  
ge Lothario sunt honorificè recepti, ac inter  
Regis palatium cum summa diligentia sub-  
rogati. Post longum temporis interuallum,  
sanctum Audomarum tunc Morinensem Epi-  
scopum, cuius compatriota atque consan-  
guineus erat beatus Bertinus, adierunt, tam  
amore ipsius sancti, quam quod patriæ lin-  
guam, utpote Teutonici, bene sciebant. Quos  
sanctus Audomarus latè suscipiens, suos in  
prædicatione statuit esse consortes. Subibant  
ergò officium legationis suæ, labore prædi-  
cationis continuæ. Istis quoque temporibus,  
beatus pater Columbanus migravit ad Do-  
minum. Cum autè sanctus Audomarus, cum  
suis tribus comitibus antea dictis, sanctæ  
Trinitatis fidem incredulorum cordibus suâ  
prædicatione frequenter imprimeret, terræ  
populus ad eos cateruatim confluebat, suavi  
iugo Domini colla deuotè subdentes. Inte-  
rea quidam prædiues opum, vir illustris A-  
droaldus nomine, nullum habens filium, cum  
beato Audomaro tractare cœpit, qualiter  
possessionum suarum Ecclesiam heredem fa-  
ceret, villam quæ Sithiu vocatur, cum suis  
appendicis, beato obtulit Audomaro, ut ibi  
xenodochium construat. Iussu igitur B. Au-  
domari, tres viri sancti prædicti Bertinus,  
Momolinus & Ebertramnus Ecclesiam  
construxerunt, & cellam, in territorio eius-  
dem villæ in loco, qui adhuc & propter hoc  
vetus vocatur monasterium, super fluuium

Agni-



Agniona, anno Domini sexcentesimo vicesimo sexto.

*Et paullo infra:* Principante Dagoberto vir illustris Adroaldus supra memoratus, B. Audomarum alloquitur, vt Sithiu villam cum suis appendicijs, & ceteras possessiones recipiat, & xenodochium suum construat. Sed B. Audomarus eius propositum mutauit, consulens, vt Deo & S. Petro bona prædicta conferat, quatenus ibi per viros Dei Bertinum, Momolinum, & Ebertramnum, qui sibi in opus Dei collaborabant, monasterium construi debeat ad habitandum monachis, vbi laudes Deo & orationes pro viuis & mortuis perpetuò decantentur, & Christi pauperibus hospitia præparentur, & necessaria ministrentur. Quod Adroaldus præfente B. Audomaro, cunctisque proceribus vrbs Taruana, magna cordis cum alacritate compleuit, tradens villam Sithiu cum appendicijs.

Interea decedente Achario Episcopo vrbs Nouiomi, ad Episcopatum eiusdem vrbs Momolinus prouehitur, & Ebertramnus cœnobio S. Quintini à Momolino præfertur. Sanctus verò Bertinus, cum in veteri monasterio resedisset annis quatuordecim, quia locus ille permodicus erat, vt aptiorem locum quæreret, spem ponens in Domino, nauem conscendit cum aliquibus socijs suis. Et ecce statim contra fluenta præcipitis fluuij, angelico ministerio nauis impellitur, donec Ber-

An. 626.

*Momolinus  
fit Episcopus  
Nouiomen-  
sis.*



An. 640.

tinus ex ordine decantati Psalterij, versiculum illum pronuntiaret, *Hac requies mea in seculum seculi, &c.* Lecto versiculo navis stetit immobilis circa medium, ubi nunc est monasterium. Cognoscens igitur illum sibi à Deo electum locum, ibi monasterium ædificavit, in honorem Dei, sanctique Petri Apostolorum principis, anno Domini sexcentesimo quadragesimo, in quo breui tempore centum quinquaginta monachos adunavit. Ita Ioannes Iperius in *Chronico manuscripto Bertinensi*.

Ceterum qua ratione apud Bertinenses, à Lamberto eius loci Abbate X. L. institutum seu reformatio Cluniacensis, consilio Ioannis Episcopi Morinensis, & Roberti Frisij Flandriae Comitis, sit introducta, narrat idem Iperius: An. CIOCI. Ioannes Episcopus Morinensis Romam ad Papam tendit: cum quo Lambertus noster Abbas se proficisci simulans, iter arripuit, & monachum, quem secum assumserat, sub custodia reclusit in quadam cella Cluniacensi. idē verò Lambertus Cluniaci remansit professionē fecit, & eorum ordinē didicit. Tandē Episcopo Romā sine Abbate reuerso, monachi nostri semel, iterum ac tertio Abbati Lamberto mandant, ut veniat. Redeunti quidam obediunt, sed maior pars obedire recusat. Tunc ipse clam vocatis militibus suis, rebelles cepit, & in diuersis Ecclesijs dispersos inclusit. Regebat tunc Cluniacum vir sanctæ memoriæ Hugo Abbas, per cuius licentiam

Lam-



Lambertus de diuersis Cluniacensium monasterijs religiosos viros huc adduxit, & hic ordinē introduxit, an. Domini millesimo cētesimo primo. Quibus strictē & religiosē viuētibus residui Sichiēses, metu rigoris disciplinae, fuga lapsi per diuersa sparguntur. Nec ob hoc cessauit hic opus Dei. Nam nouo religionis feruore, plures huc affluerunt, ita vt in breui plusquā centum viginti fratres adessent.

Porro ius mitra & ceteris Pontificalibus ornamentis vtendi Gillebertus XLIX. Abbas Bertinensis impetrauit ab Alexandro Papa quarto, Pontificatus eius anno primo, teste eodem Iperio.

## ARQVENSIS

Propositura, à S. Bertini Abbatia dependens, miliarī fere vno ab Audomaropoli Artesiorum.

**N**obilissima huius cella institutio ac dotatio debetur beato Vualberto, Pontinensi & Arquensi Comiti. Idoneum eius rei testem habeo Iperium, Bertiniani cœnobij Historiographum: \* Hangericus vir illustris, maior Domus Theoderici Regis Burgundorum, filij Hildeberti, filij Sigeberti ex Brunehilde, vxorē habuit Leodegondam, de qua genuit sanctos Pharonem. Vualbertum, & \* Anoaldum, & S. Pharam. Sanctus Pharo primò miles, inde clericus, deinde monachus in Resbaco, sub beato Agilo Abbate, cogn-

An. 1107.

Cap. 17.

\* Alias,  
Hangericus.\* Alias,  
Canoaldū

cogna-



cognato suo, filio Agnoaldi, fratris Hauge-  
rici prædicti, deinde Episcopus Meldensis est  
effectus.

Sanctus canoaldus frater eius à puero  
monachus in Luxouio sub patre Columbano,  
postea fit Episcopus in Lugduno clauato.

Sancta Phara ab infantia virginitatem Deo  
vovuit, in manu sancti Eustathij Luxouien-  
sis Abbatis. Hæc in Sombris, prope Vvissantum,  
monasteriolum ædificauerat, vbi aliquan-  
tis per Domino seruiens morabatur, sed inde  
ad Calam monasterium transijt, vbi sub habi-  
tu regulari Domino finetenus inseruiuit.

B. VValbar-  
tine.

\* Fortè  
Teruensis  
seu Terua-  
nensis.

Sanctus autem Vvalbertus successione pa-  
terna Pontiuenfis, \* Ternensis, & Arckenfis  
Comes, vxorem habuit sanctam Regentru-  
dam: de qua filium genuit, quem beatus Pa-  
ter Bertinus de sacro fonte leuans, Bertinum  
nominauit. Ex vtrisque pater confessionum,  
verbum vitæ sæpius proponebat. Quare  
Vvalbertus ad beatum Bertinum sæpè veni-  
ebat audire verbum Dei, & benedictionem  
de eius manu fuscipere.

Quadam verò die Vvalbertus ad basilicam  
sanctæ Dei genetricis oraturus accessit; sed  
insalutato beato Bertino recedens de equo  
lapsus, fracto crure, membrisque collisis à  
beato Bertino aliquid sua manu benedictum,  
per celerem nuncium exposcit. Sanctus au-  
tem Bertinus direxit ei signatum sua manu  
vinum: quo gustato sospes gratias referens,  
magnam hæreditatis suæ partem Deo & be-

ato



ato obtulit. Bertino, Arckensem scilicet villam & comitatum, cum omnibus appendicijs eius. Et sæculo renuntians hinc primum sub beato Bertino, dein in \*Luxouio monachus est effectus, sub beato Eustathio. Post quem ipse Vualbertus immediatè est in Abbatem assumptus, & demùm, vt aliqui referunt, post beatum Pharonem fratrem suum est Meldensis Episcopus sublimatus.

Filius verò eius sanctus Bertinus, hinc in Sithiu monasterio, sub beato patre Bertino professus, religiosam vitam sancto fine concludens, ad Dominum gloriôsè migravit. Cuius corpus cum corpore beati Erkenbodoni & aliorum Sanctorum, supra maius altare, in Ecclesia Canonorum S. Audomari, repositum veneratur. Haftenus Iperius.

*De sanctitate illustribus cœnobij Sithiensis Abbatibus ac monachis, Bertino primo Abbate ac fundatore, Momolino Episcopo Nouiomensi, Ebertramno Abbate, Vualberto Comite & Abbate Luxouienfi, Vuinoco item Abbate, eiusque tribus fratribus, Kadanoco, Ingenoco, Madoco, Erkenbodone & Hunfrido Morinorum Episcopis, Fulcone Remensi Archiepiscopo, Grimbaldo Abbate Vuintonienfi, Iosione Roseo, Bernardo Pœnitente alijsque, præter Iperium, fusè tractat*

*Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij.*

(.·.)

\*. Luxouii  
Luxeuil.  
opidum est  
Comitatus  
Burgundia  
in quo hodie  
quæ exstat  
Cœnobium  
monachorū  
Ord. Bene.

S. Petri



*S. Petri Gandense, seu Bauonicum, & S. Petri Blandiniense cœnobium.*

*In historia  
vita S. A-  
mandi, qua  
M. S. exstat  
Elnone &  
alibi,*

**S**ANCTVS Amandus, Traiecti ad Mosam Episcopus, illustris per Galliam Belgicam doctrina Evangelicæ præcoxstitit. Huic initia debent sua Gandense seu Bauonicum, Blandiniense, Elnonense & Marchianense cœnobium, cum opulenta, tum perantiqua. De prioris utriusque institutione Philippus ab Eleemosyna, Abbas II. cœnobij Bonæ Spei, Ord. Præmonstratensis, apud Brinichium Hannoniæ opidum, vir longè eruditissimus, & S. Bernardo Abbati Clareuallensi olim familiaris, sic scribit: Viam vniuersæ carnis ingrediente Lothario Rege, successor ei constituitur Dagobertus, sicut regiminis, sic virtutis & pietatis paternæ strenuus imitator. Quo regnante beatus Amandus, ab vrbe Roma regrediens, ministerium verbi, sicut assueuerat, cœpit diligentius exercere, & animarum lucra profectui diuini muneris operari. Huius rei gratia, Gandauum progreditur, & sterilitatem gentis incredulæ fecunditate diuini germinis satagit adimplere. Hic vt liberius securiusque possit in Evangelicæ sationis opus assurgere, interueniente sanctæ recordationis Aichario Nouiomensi Pontifice, à præfato Rege suscepit epistolas, vt nullus verbum vitæ, iugum fidei, sacramenta gratiæ detrectaret, sicque Regi cælesti, Rege militante terreno, velociter curreret sermo

san-



sanctus, & in exitium mortis, iugulum-  
que diaboli, duo gladij conuenirent; quia  
felix & iucunda est communio, cum ad clas-  
sicum militiæ spiritualis erigitur terrenæ fa-  
tellitium dignitatis.

Populus autem ille sicut vber eglebæ, sic  
vbertate gratiæ sterilis, & ieiunus, fanatici  
erroris cultibus, & idolorum sacrificijs infi-  
stebat. Sicque instigante salutis aduersario,  
dura fronte, & indomabili corde, pacis æter-  
næ consilium respuebat, & salutaribus mo-  
nitis ceruicoso reluctabatur adnifu. Saage-  
bat nihilominus vir Domini studio pertina-  
ci & iugi opera, vt in diuersoria mortis indu-  
ctos, in regnum vitæ, per gratiam sanctifica-  
tionis educeret. Renitebatur impietas pie-  
tatis obsequijs, & ministrum vitæ frequenti-  
bus ad mortem trahere moliebatur insidijs.  
Ille speretâ sui corporis morte, sæpenumero  
cæsus, affectus contumelijs, pulsatus iniurijs,  
opprobrijs lacesitus, frequenter præcipita-  
tus in flumen, ab ipsis etiam mulierculis per-  
secutionis iniuriam sustinebat. Fratres ita-  
que, qui cum nimia deuincti caritate secuti  
fuerant, & in opere Dei præstabant familia-  
re contubernium, timore mortis & inedia  
squalore compulsi, fracti animo recesserunt,  
relicto eo ad propria remeantes. Ille ne quæ  
grauaret, & vt sine sumtu poneret Euangeli-  
um, proprijs manibus laborabat, vnde viue-  
ret, & vt pro facultate ministraret necessita-  
tem patientibus.

Nihil



Nihil est tam arduum, tamque difficile, quod non expugnet opera pertinax, & frequens lima complanet: maximè cum diligentia comes gratia suffragatur. Aperitur tandem laboribus sanctis ostium grande, & magnatibus, ad fidem cum populo confluentibus, vir sanctus in virtute Dei confringit idola, templa destruit, altaria demolitur, cultum miseræ superstitionis excludit, & abdicat deceptæ gentilitatis errores. Ad laudem igitur & gloriam nominis Dei, vivificæ crucis erigitur triumphale vexillum, & mutato ritu pro fidelibus offeruntur hostiæ salutare. Aedificatur in eodem loco fidelium sumtibus fabrica celebris, quæ in fidei domicilium solemnibus edita sacramentis, sub Apostolorum principis honore & nomine, beati Amandi ministerio, consecratur. Constructitur item altera cultibus diuinis Ecclesia in loco, quem blandinium vocare consueverat voluptatum sectatrix prisca gentilitas, eo quod blanditijs lenis, & amœnitate præcipuus videretur. Vbi deo seruientium probata constituens officia clericorum, curæ pastoralis officium discipulo suo, viro venerabili tradidit Floreberto. Sub illius felici magisterio sanctus Bauo secretum votiux reclusionis intrauit, postquam à vanitare seculi, beati Amandi prædicatione, conuersus est, & Ecclesiastico ritu benedictionis gratiâ confuratus. In qua vigilijs, ieiunijs, orationibus conuenienter intentus, seipsum deo Patri ho-

tri ho-



tri hostiam viuam, sanctam, beneplacentem iuxta institutionem viri Dei, satagebat fideliter exhibere.

Hactenus Philippus ab Eleemosina; ex cuius verbis illud effici videtur, in Blandiniensi, vt & in alijs plerisque nostratibus cœnobijs vetustioribus, à prima institutione, non monachos, sed clericos regulariter in communi vixisse. Idem de Gandensi seu Bauonico cœnobio iampridem Molanus, vir sacre nostratis historia peritissimus adnotauit, Vt vt sit, certò constat B. Gerardum Abbatem Broniensem, anno nongentesimo quadregesimo primo, pulsus clericis, monasticam apud Blandinienses disciplinam instituisse.

In Natal.  
SS. Belgij  
1. Octob.

Est autem Blandiniense S. Petri cœnobium intra muros hodie vrbs Gandensis in monte Blandinio situm, Flandria Comitum olim Mausoleum, quorum tumulos marmoreos ibi spectari solitos impij Caluinistæ, vna cum basilica amplissima, anno superioris seculi octauo & septuagesimo, funditus exsciderunt.

Gandense porrò seu Bauonicum cœnobium, à S. Bauone, viro nobilissimo, cuius opibus illud S. Amandus exstruxit, sic nuncupatum, loco plano, ad Scaldis & Lise fluminum confluentem, olim situm fuit. Cuius quidem loci monachi, Paulo III. Pontifice Maximo indulgente, anno salutis millesimo quingentesimo tricesimo septimo, Kalendis Augusti, Canonicorum, vt loquuntur, secularium vitam sunt amplexi. Qua de re versus hic chronographicus.



VInCVLa fVnt Petro, MonaCho qVæ  
VInCVLa toLLVnt.

An. 1540.

**A**Nno autem pōst tertio, ipsum cœnobium Bauonicum Carolus V. Imp. primo fundamenti saxo per funem inter obequitandum demisso, tutanda vrbi, in arcem conuertit, & Canonici ad S. Ioannis basilicam tunc parœcialem, nunc cathedralem, commigrarunt, R. D. Carolo Croio, Tornacensi Episcopo ipsos deducente, & Diuorum corpora eodem solemniter transferēte.

Huius Bauonici cœnobij ( non autem Blandiniensis, vt Meyerus existimauit ) Abbas VIII. fuit Hildebertus, qui pro tuendo sacrarum imaginum cultu, à fautoribus Constantini Copronymi Imp. iconomachi, est interfectus. Abbas porro XV. fuit Eginhartus seu Einardus, Caroli Magni Imp. Cancellarius, vir scriptis editis clarissimus, qui S. S. Marcellini & Petri martyrum reliquias Roma Gandauum transferendas curauit, & an. Christi octingentesimo quadragesimo quarto obiit.

S. AMANDI

Cœnobium Elnonense in Pabula, tertio milliari à Tornaco Neruiorum.

An. 634.

**A**Nno incarnati verbi ICCCXXXIV. Dominus Amandus Traiectensis Episcop. à Dagoberto Clotharij II. Filio, Francorum Rege Christianissimo, pro monasterio construendo, locum, vulgò à circumfluente fluuiolo Elnone vocitatum, supplex petijt, & cum filua, aquis circumiacentibus & pascu-



pascuis munificentiæ regiæ beneficio obtinuit. Donatio ipsa Parisijs ciuitate facta est Kalendis Maij, an. XI. Domini Dagoberti, cuius tenor in archiuis nostris vsq; in præsentem diem conseruatnr. Loco igitur prænominato, inter duos fluuios Scarp & Elnonẽ sito, obtento, mox pater sanctus monasterium inchoauit. Ecclesiam igitur, licet paruum, ad honorem Diui Andreæ Apost. erexit & consecrauit, in qua ante altare Diuæ Virginis post plura lustra idẽ vir Dei Christo spiritum reddidit. Primus igitur Abbas fuit ipse Amandus genere Aquitanus, Traiect. ad Mosam Episc. vir sanctissimus, gemina scientia, diuina & humana præditus, elegantia plusquam Tulliana, Deo & hominibus dilectus.

Inchoato ergo à B. Amando Elnonensi cœnobio, de grege sibi cōmisso sollicitus Traiectensem suã diocesim visitare disposuit: antea tamen Elnone vices gerentẽ suas in Abbatẽ suum ordinauit discipulũ, nomine Vrsũ, qui annis aliquot laudabiliter rexit, ac tandem beato fine quieuit. Cui à B. Amando ordinatus successor S. Ionatus, vir modestissimus, ipsius monasterij monachus, quẽ pridẽ Marchianis instituerat idẽ B. Amandus primum Abbatẽ. Verum cũ Episcopalem curam renũciasset, & limina Apostolorũ pro tertia vice, adiũctis sibi SS. Huberto de Maricolis, & Nicasio Elnonensi monacho & discipulo, petere decreuisset, prædicto Ionato Marchianensi Elnonense cœnobiũ similiter duxit cōmen-

*Amandus  
quiescit in  
hoc suo El-  
nonensi mo-  
nasterio.*



dandum. Deinde Amando, liminibus Apostolorum visitatis, Elnonensem repetente locū, Marchianas Ionatum repetisse reperimus; ubi post mortē etiam B. Amandi, aliquot lustris regulariter viuens, diuersos vtriusq; sexus ad religionē induxit & castitatem. Eius festiuitas agitur Kalendis Augusti.

Ionato successit beatus Andreas. Beatus namq; Amandus cum Roma tertio rediisset, & aliquot annis Elnone curam Abbatialem gessisset, sentiens corporis sui defectus, euocatum ad se B. Andreā, quē in cella Apostolorū Barisiaci primum Abbatē instituerat, ut Elnonē repedaret, imperat, eumq; ad se venientem constituit super familiam suam, quam Elnone collegerat, successorē. Reuocare tamen decreuit in ius monasterij Elnonenfis, in possessionē perpetuā, quidquid Barisiaci antea possederat, munificentia Regis Hilderici: quod vsq; in hodiernum diem, iuxta viri Dei dispensationem, irrefragabiliter obseruatur.

Anno eodem, quo idē Andreas Elnonenfis Abbas est effectus, sci. sexcentesimo sexagesimo primo, idē beatus Amandus sub Vitaliano Papa, post multiplices atq; felices certaminū cursus, sciēs sibi imminere obit<sup>9</sup> sui diē, ad dedicandā Ecclesiam Apostolorū Petri & Paulli, quā construxerat, cōuocatis Episcopis in Elnone, sanctis Reolo Remensi Archiepiscopo, Mōmoleno Nouiomēsi, & Vindiciano Cameracensi, Abbatibus etiam sanctis Bertino Siciensi, Adelberto S. Bauonis, & Ioanne

Blan-



Blandiniensi testamentum de corpore suo, ne ab aliqua Ecclesiastica seculariue persona ab eodem monasterio umquam auferretur, attestantibus & subscribentibus eisdem, anathemate confirmavit. Et post nonagesimo ætatis suæ anno, in Ecclesiam D. Andreæ, ante altare gloriosæ Virginis Mariæ VII. Idus Februarij, spiritum Deo reddidit, & in Ecclesia B. Apostolorum, quam recenter dedicauerat, ab obitu die quarto, honorificè sepelitur, in qua annis fere XVI. incorruptus & incontaminatus requieuit. Post cuius felicem obitum B. Andreas eius successor & filius, duobus ferè lustris in humanis agens, miraculis coruscus terram relinquens astra petijt, sepultus iuxta patris sui vestigia, anno sexcentesimo septuagesimo. Post aliquot tamen annos, cum corpore B. Amandi, inde translatus est ad grandiore Ecclesiam Diuo martyri Stephano dedicatam. Ad cuius sepulcrum diuina clementia, meritis eius, languoribus plurimorum salutem contulit.

Huic successit B. Ioannes à B. Amando Blandinij Abbas constitutus. Huius temporibus constructa est Ecclesia B. Stephani maior, propter crebra beati Amandi miracula, & B. Amandi corpus in eam transfertur per B. Eligium anno ab obitu eius XV. Qui cū aliquot annis laudabiliter rexisset Ecclesiā, bonorum studiorū ac piorum actuum finē faciens, sanctum Domino spiritū reddidit. *Hæc ex manuscripto Chronico Elnonensi fideliter desumimus.*



**H**uius cœnobij monachi fuere Milo & Hucbaldus Elnonenses. Hucbaldus, præter vitas Sanctorum varias, de laude Caluorum ad Carolum Caluum Imp. centum triginta sex versus elegantissimè conscripsit: quorum versuum dictio qualibet à littera C. incipit, exstantque typis editi. De Milonis, aliorumq; huius loci monachorum scriptis, vide Bibliothecam nostram Belgicam, breui, ut spero, typis edendam.

MARCHIANENSE

Monasterium in Flandria, ad Scarpum fl. tertio ferè milliari à Duaco.

S. Rictrudis, & filia eius  
S. Eusebia, quiescunt  
Marchianis in ferebris argenteis inauratis.

**H**uius cœnobij à S. Rictrude, matrona nobilissima, S. Amandi consilio, instituti exordia habet ex manuscripto Chronico Marchianensi, à quodam eius loci monacho, hortatu Simonis Abb. XX. olim conscripto.

Anno ab incarnatione Domini quingentesimo septuagesimo primo, S. Amandus ex nobilissimis parentibus in Aquitania natus est. Is anno à natiuitate sua quadragesimo, anno verò Lotharij Regis vicesimo quarto, Ecclesiâ S. Petri in Blandinio, & post Marchianensem in honorè eiusdè Apostoli, in Adalbaldi Ducis allodio cōstruxit. Nā vir iste generosus, multis locupletabatur possessionibus in pago Flandrensi, Legiensi, Adartenfi, Austrebatensi & Pabulensi.

Lotharius Rex Bertrude Regina mortua, secundā duxit vxorē Sichildē, de qua genuit Hairbertum, anno regni sui quadragesimo

quin-



quinto. Lotharius autē diem clausit vltimum anno Domini sexcētesimo tricesimo; cui successit Dagobertus filius, vniuersam obtinens monarchiā, qui Hairberto fratri non vterino dedit partē regni, animo spontaneo, à flumine Ligeri, Aquitaniam scilicet, & Prouinciā, & quidquid vltērius vsq; ad proximos montes, armis ac virtute posset acquirere. At iuuenis egregius, laudis ac virtutis cupidus, Vuasconiam beatæ Rictrudis genuinam patriam, acquisiuit suis viribus. Habitabant tunc in ea Gethæ, qui alio nomine Gothi dicuntur, gēs bellicosissima, & militari exercitatione egregia. De hac gente plenius scripsit Iordanus Episcopus Rauennæ. Hairberto igitur & filio eius mortuo, omnia quæ acquisierant, ad Dagoberti imperium redigunt: à quo tēpore vsq; in præsens Vuasconia & Francia, duo scilicet regna, vnum sunt facta. Dux igitur Adalbaldu in Vuasconiam profectus, beatam Rictrudē alto sanguine ortā vidit, dilexit, legitimam vxorē duxit, tum ad hos vltimos Gallia fines adduxit. Fuit autē filia Hirnoldi clarissimi & fortissimi viri, cognomento Nobilis, de gente Getharum, cuius gesta militaria rithmicè cōposita, & eius fratrum adhuc decantantur in palatijs Regū, & theatris populorū.

Eo tēpore Adalbaldu Dux, & Erchenaldus frater eius maior natu, reedificauerāt Duacū castrū. & infra castrum ædificauerūt Ecclesiam beatæ Dei genetricis Mariæ, quæ nunc dicitur S. Amati. Igitur Adalbaldu ex Ri-

*S. Rictrudis nubit Adalbaldo Duci.*

*In Duacensi castro basilica B. Mariae exstruitur.*



ſtrude genuit filium, nomine Maurontum, & tres virgines ſanctiſſimas Cloſendem, Eufebiam, & Adalſendem. Mauronto S. Richarius Pontinēſis, pater ſpiritualis exſtitit, Cloſendi S. Amandus Elnonenſis, Eufebiæ Regina Machtildis, vxor Dagoberti Regis. Anno igitur Dñi ſexcentefimo quadrageſimo ſexto, Dagobertus Rex an. imperij ſui decimo ſexto, profluuiſ ventris exſtinctus, delatus eſt ad baſilicā S. Dionij, quā exſtruxerat, magniſq; munerib⁹ donauerat, pretioſiſq; ornāmētis decorauerat, cui⁹ animā de funib. diabolicis eripuit S. Dionyſius. Succēſſit ei in regno Clodoneus, fuitq; princeps & patrici⁹ Erchenaldus, frater Ducis Adalbaldi, de genere Dagoberti. In regno autem Sigeberti, alterius filij Dagoberti, floruit Pipinus Saxo, pater ſanctæ Gertrudis virginis Niualenſis, cognatus præfati principis; qui primus, ſcilicet Erchenaldus, exſtruxit cœnobium Latinia cum, & Peronam.

Dux igitur Adalbalduſ, neceſſitate vrgente, à pago Auſtrebatenſi, quem vulgari nomine Auſtreuannum vocant, in Vuasconiam proficiſcitur; cumq; per Aquitaniam iter perageret, & ad Petragoricum ſolum perueniſſet, inſidijs malignorum & vxoris ſuæ conſanguineorum (qui indignè ferebant ſuam neptem matrimonio iunctam Francigenæ, quod genus vtpote Gothi oderant) peremptus eſt, & capite truncatus: quod ipſe diuino auxilio fultus dicitur inde ad Eccleſiam, in qua tumultandus erat, ambabus manibus depor-

*Adalbal-  
duſ Dux  
ab impijs  
in Vaſconia  
occiditur.*

depor-



deportasse; ad cuius sepulcrum multa <sup>1110</sup> tempore miracula edita sunt. At corpus eius postea inde sublatum est ad Ecclesiam sancti Amandi Elnonensis. Cumque Rex Galliarum Rictrudem vellet ad secundum matrimonium cogere, ut haberet qui genus suum propagaret, illa consilio sancti Amandi, liberos suos tradidit Christo, aureo peplo capitis in sacrum velamen mutato. Bona autem sua sacris construendis applicuit, consilio S. Amandi, & cum auctoritate Præsulis Cameracensis Autberti. Itaque patrimonij sui substantiam, ac mancipiorum suorum regimen speciale commisit S. Amando, ut varijs Ecclesijs applicaretur, & utriusque sexus fidelibus personis ea distribueretur. Suis verò locis, in quibus piæ exercitio actionis Deo militatura erat, usque in finem, ut paupertatis sanctæ amatrix, pauca resignavit.

Porro Marchianensis locus circumfluentibus aquis, & palustri arundine circumdatur, habetque versus Aquilonem siluam grandem, ad Australem partem fluuium Scarpe, qui labitur ad Orientem, ex cuius utraque parte adiacent prata, herbis palustribus strata. Ad Orientem Marchianensis villæ, cœnobio ritè composito, & à duobus Reuerendissimis Episcopis, Autberto videlicet & Amando, monasterio in honorem Apostolorum Petri & Pauli, VI. Kalen. Nouemb. solemniter

*Marchianense cœnobium constructum.*



debantur esse, testamentum legitimum faciens, perpetuo iure possidenda, liberaliter Sanctis Dei, & eidem contulit monasterio obtulit quoq; tres filias suas virgines infantulas, Regi Christo sponso carissimas futuras.

*S. Ionatus  
quiescit  
ad archianu*

In eodem cœnobio primùm monachis ad seruiendum Deo à beato Amando delegatis, pastor vigilantissimus, ac procurator interius, exteriusque fidelis, & simplex Ionatus donatus est eis, qui beati Amandi Pontificis discipulorum vnus, eius sacra eruditione admodum informatus, ad hoc officium idoneus inuentus est. Verum postmodum rationi consentaneū visum est (quoniam sua bona beata Rictrudis huic loco cōsecrârat, ibiq; Deo deservire statuerat) vt ibidē sanctimoniales, inter seruos Dei collocarent, quæ primatus ordinē obtinerent. Itaq; modico superstitute conuenticulo eorū, cum pace mutua nobiles matronæ illuc certatim confluunt, religiosæ viduæ, ac virgines rarsæ; quibus tamen ob humilitatem dominari renuebat S. Rictrudis. Quæ decurso vitæ suæ termino in omni virtutū exercitatione, ætatis suæ an. septuagesimo quarto, IV. Idus Maij, diem clausit extremum.

Post S. Rictrudis dormitiōē, Marchianensis cænobij Abbatissa fuit Clotsendis filia eius, cui successerūt aliæ, rexeruntq; hanc Ecclesiam sanctimoniales per annos trecentos triginta tres, vel circiter.

Cum autē Marchianense monasterium, & alia multa rabies Normannica destruxisset, &

san-



sanctimoniales poenē ad nihilum possessiones redegisset, Balduino Comiti Flandriarū, auo Balduini qui apud Hasnoniū est sepultus, Deus bonū pro restaurandis Ecclesijs spiritū est largitus. Acciuit igitur Comes Lietuinum S. Vedasti Abbatē, virum verē sanctū, & tunc tēporis singularis sapientiæ & virtutis. Nec mora p̄cepto Comitis moniales abscedunt, & de suis aliquot boni testimonij monachos eligens Lietuinus, Marchianas transmittit. Tunc ibi cōenobialis disciplinæ rigor renouatur, & de nouo ipsius monasterij fabrica instauratur. Deniq; intra nouē annos, quibus Marchianensi cōenobio pater iste venerabilis p̄fuit, res monasterij in bonum statum reuocatae sunt. Decursis igitur nouē annis Lietuinus missionē petijt, & vni de monachis suis Alberico scilicet monacho S. Vedasti, hoc onus suscipere iniunxit, qui annos quindécim, temporibus Henrici Regis, p̄fuit, & obiit IV. Non. Ianuarij.

Alberico mortuo anno millesimo quadragésimo octauo, Balduinus Insulanus Flandriæ Comes, filius Balduini supra memorati, Popponem Abbatem S. Remachi Stabulensis, & S. Vedasti Atrebatensis, huic p̄posuit cōenobio, p̄fuitq; huic Ecclesiæ mēse vno, & obiit VIII. Kal. Februarij. Post hūc Vuido monach<sup>9</sup> S. Vedasti fit Abbas Marchianēsis Nonis Iulij, & p̄fuit annis XX. obiitq; XIII. Kal. Octob. anno 1068. & sic ex ordine ceteri. Haftenus ex manuscripto Chronico Marchianensi.

*Hunc alij  
Leduinum  
nuncupant,  
suauiori  
voco.*

*His*



Lib. 1.

*His consonat, quæ Chronographus Cameracensis recenset: Apud villā, inquit, Marcenias, Dei Gloriosa Rictrudis ex proprijs opibus & prædijs, cōsilio S. Amandi, qui tunc tēporis insignis habebatur monasteriū struxit, vbi sanctimonialibus ad seruiendum delegatis, ipsa etiam Abbatissa habenas regiminis moderata est. In cuius vita plurimū, & post vitā aliquātulum religio creuit, vsusq; Ecclesiasticus regulariter adoleuit. Seculo autem semper in deterius vitiato, ipsarum etiam puellarum ordo vitari & deprauari cœperat. Iamque magis & magis deprauatus mos, in degeneri posteritate vsq; in præsens durauerat. Nuper verò Abbas Leduinus, Gerardo Episcopo, & Marchione Balduino satagentibus, feminas turpiter viuentes, mundato loco, exturbauit, ac monachos, qui melius & religiosius, Deo & S. Rictrudi, quæ ibidem quiescit, deseruiant, constituit. Hactenus ille.*

*Hamaticen-  
se mona-  
sterium.*

*Ceterum haud procul Marchianis, in Hamatico, siue, vt Chronographus Cameracensis loquitur, in villa Hamatgia, beata Christi famula Eusebia, prædictæ S. Rictrudis filia, ex rebus suis hereditarijs pariter monasterium construxit, in quo sanctimonialibus constitutis & ipsa Abbatissa præfuit; quod lapsu temporis vix paucos Canonicos habuit. Est hodie Prioratus, vt vocant, Marchianensi Abbatia annexus, vulgò Hamay nuncupatus, quem monachus vnus alterue obtinet. Porro à Marchianis nomen habet illustre ac magnificum istud Aca-*  
*demia*



*demie Duacena Collegiū Marchianense, quod Arnoldus Gantoisius, Abbas Marchianensis, patrū memoriā à fundamentis exstruendum curauit, Obijt an. 1582.*

## CAPVT XXI.

*S. Naboris monasterium apud Lotaringos.*

**E**st istud in eiusdem nominis præclaro apud Lotaringos oppido sitū, *Hilaricum* antiquitus, vel noua *S. Hilarij* cella, à primi oratorij conditore *S. Fridelino* Scoto, *Hilarij* discipulo sic dictum. Fundatum est autem & solerti studio constructum à *Sigisboldo* tricesimo sexto *Mediomatricum* vrbis Episcopo; dedicatumque in honorem *D. Pauli* gentium Doctoris, anno Domini 714. Donatum est corpore *S. Naboris* martyris anno Domini 765. à *Crodegando* tricesimo septimo *Metensis* Ecclesiæ Antistite, qui *Romam* petens, à *Paulo* Pontifice tria obtinuit sanctorum Martyrum corpora, *S. Gorgonij* quod in *Gorzia* monasterio, *S. Naboris*, quod in noua hac cella, & *S. Nazarij*, quod in monasterio *Horsheim* venerabiliter condidit. Sic ferè *Bruschius*.

714.

765.

*S. Mauritij Tholegiense monasterium, in Lotharingia, vt d. Treuerensi.*

**F**uit id antiquitus *Schola & Ecclesia Theologorum* dictum, prope *S. Vvendelinum* (quod oppidum *Lotaringiæ* est, à *S. Vvendelino* Scotorum Regis filio, ac *Theologiensi*

mona-



627.

monacho cognominatū) sub veteri Schaumburgo Lotaringiæ Ducum præclaro castro situm; Olim insigne ac celebre gymnasium, in quo vigeant & sacra & profana litteræ; nunc benedictinorum monachorum amplissimum monasterium Treuericæ diocesis fundatum ac munificentissimè donatum legitur anno Domini 627. à *Dagoberto* Galliarum & Austrasiæ Rege, consilio & auxilij *B. Modoaldi* Treuerorum Archiepiscopi, absolutum verò à filio *Dagoberti Sigiberto* Austrasiæ Rege, ac tandem à *S. Pirminio* Episcopo & monacho præclarè decoratum. Cubat in huius cœnobij basilica *D. Chuno*, alibi *Chunradus* dictus, Archiepiscopus Treuerensis, patria & natione Sueuus, qui aliquamdiu incarceratus, tandem anno Domini 1066. in *Vrczeck* à tyrannis quibusdam plebeijs, subditis suis, trucidatus & securi percussus est. Sic fere *Brunschius*.

CAP.



## CAPVT .XXII

### MARICOLENSE

*Monasterium, vulgò Maroilles, milliari vno à Landresio Hannonia opido situm.*

**T**emporibus Hildrici, qui inter Franco<sup>s</sup> regni monarchiam tenebat, S. Iulianus, sacerdos Dei egregius, & confessor claruit emerit<sup>9</sup>, qui Macerijs ad Mosam fl. ditissimis parentibus natus, & Lauduni sacris disciplinis institutus, tandem Romam, cum S. Amando, Traiectensi Episcopo, piæ peregrinationis ergò, se contulit, indeque secundum reuersus, coepit crebris meditationibus æstuarè, quidnam de reliquijs Sanctorum, quas secum deuexerat, facere deberet, cum fortè caussis interuenientibus quædam iuris sui loca lustraret. Contemplatus itaque aptum sacris ædificijs locum secus alueum Sambræ, quem priores ruricolæ Maricolas dixere, impetratâ à Cameracensis sedis Episcopo licentiâ, oratorium construxit, in quo iuxta rerum stipendiariam facultatem, viros sub habitu monasticæ conuersationis constituit, qui per aliquod temporis spatium ibi deseruijsse feruntur. Sed nostris quibusdam incertum, qua incumbente difficultate, an loci sterilitate, an circummanentium inquietudine, locus ille aliquo tempore, absque cultus monasti-

*S. Iulianus  
qui quiescit  
in hoc suo  
cenobio  
Marico-  
lensi.*

nasti-



*Adariculis  
olim Cleri-  
ci seu Cano-  
nici resede-  
runt.*

nastici obseruantia vacauit. Verum illo reli-  
cto, haud procul extruxit coenobium, quod  
ad nostra vsque tempora superfuit, in quo  
clericos vtriusque conditionis & gradus tri-  
ginta constituit.

*Et infra:* Multo denique tempore post, Ab-  
batia tantò rerum suarum facultatibus est  
imminuta, quanto secularis potestatis nuti-  
bus est mancipata. Nam & hi, qui Ecclesia-  
stici cultus officijs præesse videbantur, nego-  
tijs secularibus tanto liberiùs inhærebant,  
quanto nullo rectoris fræno coërcebantur.  
Porro siquid pro sui absolutione viri religi-  
osi, ad communem famulantium vsum con-  
tulerant, hi in vsus proprios retorquentes,  
subditorum indigentiam non adeo curabant.  
Quæ autem ad solennem templi ornatum ser-  
uabantur, vili mercatur ex impendijs distra-  
hebant. Vnde factum est, vt Othone Impera-  
tore, Henrici quondam Regis filio, dum Ful-  
bertus Cameracensis sedis illustris Episco-  
pus, super huiusmodi querelam deferret, ille  
Princeps Catholicus Abbatia de manu Isaac,  
qui tunc temporis Comitatus dignitatem ad-  
ministrabat, receptam, sanctæ Mariæ Came-  
raci subiectam faceret, & Episcopali regimi-  
ne moderandam destinaret, quæ vsque in ho-  
diernum, ad eandem matris Ecclesiæ sedem  
spectare videtur. Verum res Ecclesiæ, quæ  
malè ab externis tenebantur, & aut violentis  
inuationibus, aut infaustis (vt diximus) cle-  
ricorum conuentionibus fuerant alienatæ,

non-

*Idem narrat  
Chronogra-  
phus Came-  
racensis  
lib. 1.*



nondum vsque ad tempus Gerardi Episcopi  
dirimi potuerunt. Hic quarto decimo Henri-  
ci Imperatoris anno, Pontificale sceptrum  
adeptus, dum lustratis diocesis suæ finibus,  
per singulas Ecclesias, qualiter diuina mini-  
steria tractabantur, perquireret, & ad huc lo-  
cum, fortè transitum faciens, diuerteret, re-  
perit deformi horrentem specie semiruta æ-  
dificia, omnia dissipata, vt hac hostilem ex-  
ercitum transisse putares. Tantæ igitur deso-  
lationis causam percunctatus, cum didicisset  
maximè ex insolentia clericorum, tantam re-  
rum ruinam obortam, & ipse vniuersos eo-  
rum mores, tum priuatis, tum publicis cor-  
reptionibus increpitans, nequaquam ab er-  
rore prauæ consuetudinis posset reuocare;  
desperatâ correctione, eiecit illos à loco,  
substituens pro his ordinem monachorum,  
consultius eos arbitratus regularis discipli-  
næ normam tenere, & si quid oriretur inso-  
lentia, facilius eos ad rectum duci. Renoua-  
to itaque, & ampliato monasterio, coepit  
possessiones Ecclesiæ, sicubi fuerant, restau-  
rare. *Hac ex historia vitæ S. Humberti, quæ a-  
pud Maricolenses & alibi exstat manuscripta fi-  
deliter desumimus.*

De Marecolis seu Mareclis, vt nuncupat, ea-  
dem narrat Chronographus Cameracensis; quæ  
in gratiam Lectoris subiungam: Sanctus vir  
Dei Humbertus, sanctitate conspicuus, & non  
modicè prædiatus, ex patria Laudunensi de-  
cedens in villam Mareclias, locum suæ san-

Gerardus

o nomine

primus

Camerac-

ensis E-

piscopus obi-

it anno

1048.

Clerici a-

motis mo-

nachi sub-

stituuntur.



ctæ conuersationis elegit, ibique de rebus proprijs, & prædijs monasterium in venerati-  
one sanctæ Dei genetricis, & sanctorum A-  
postolum Petri & Pauli Apostolicâ auctori-  
tate construxit. Illicque fratribus ad deser-  
uiendum statutis, ipse etiam Domino serui-  
ens, virtutum signis & doctrinæ, vitæque  
meritis satis clarus emicuit, ibique laborem  
huius vitæ consummans sepultus in pace  
quiescit. Hanc Abbatiam primus Otho Im-  
perator, Henrici Regis filius, tempore Ful-  
berti Episcopi habendam tradidit sanctæ  
Dei matris Ecclesiæ Cameracensium.

## CAPVT XXIII.

*S. Dionysij Abbatia Regalis, secundo lapide à  
Lutetia Parisiorum.*

632.

**N**obilissimi huius monasterij, in o-  
pido eiusdem nominis hodie siti, fun-  
dator fuit *Dagebertus* Rex Franco-  
rum XI. qui ab anno 632. vsque ad an-  
num 642. regnauit. Conditum est autem  
in honorem S. Dionysij, primi Parisiorum  
Episcopi, quem Dionysium Areopagitam  
fuisse volunt. Huius sacræ reliquiæ, vt &  
S. *Ludouici* Gallix Regis, ibidem spectan-  
tur, pretiosissimis theris inclusæ, cum alijs  
plurimis. Visuntur ibidem tumuli mar-  
more



morei omnium pænè Regum Galliæ, quos non semel magna cum admiratione ipsi spectauimus, cum Lutetiæ negotiorum causa anno 1610. versaremur.

## DAGOBERTI REGIS diploma.

**D**Agobertus Rex Francorum, vir illustrer omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Ducibus, Vicarijs, Centenarijs, Actoribus, Iudicibus, & cunctis in vniuerso regno Francorum principatum agentibus. Si ea quæ ad reuerentiam locorum sanctorum Dei, & tutamentum mancipiorum ad ea pertinentium attinere videntur regia censura decernimus, iuste quidem agere videmur: ac proinde nos habituros eterne remunerationis apud Deum mercedem sine dubio speramus. Quapropter presentium atque futurorum sagacitas nouerit, quod ad petitionem Domini Chuualdi venerabilis Abbatris & fratrum monachorum monasterij sancti ac beatissime peculiaris patroni nostri DOMINI Dionysij Martyris, vbi ipse Dominus in corpore requiescit vna cum suis præclaris socijs Rustico & Eleutherio Martyribus, de copulationibus



mancipiorum, seruorum & ancillarum, & eorundem sanctorum venerabilium Martyrum, & aliorum omnium vniuersaliter hominum in toto regno à Deo nobis commissio consistentium, seu etiam nostrorum, seu quorumlibet hominum cuiuscumque dignitatis, ordinis, & potestatis exstiterint, hanc per hoc nostræ dignitatis præceptum constituentes, sancimus, vt à modo per omnia seculi presentis futura tempora quicumque mancipiorum siue seruorum, & ancillarum, præfatorum Martyrum, siue masculus siue femina qualicumque pacto seu legitimo seu furtiuo complexu prolem genuerit, addiderit atque propagauerit, ex tunc & semper absque participe vel diuisione quolibet irrefragabiliter ad supradictorum sanctorum Martyrum potestatem, cum omni prole sua reuocentur atque subdantur, & lege mancipiorum ecclesiasticorum sub præfati Abbatis & successorum illius monachorum in iam dicto monasterio Deo seruientium ditionem perpetualiter mancipentur. Si quis verò contra hoc nostre maiestatis decretum præsumpserit, & quod amore iustitiæ decernimus infringere, & quoquo pacto violauerit; legibus arctatus, auri purissimi decem libras ac argenti probatissimi pondus viginti ad pensum nostri palatii soluere cogatur, & eorundem mancipiorum, si liber est, teneatur; si verò seruus idem soluat, & centum quinquaginta ictibus in publico coram iudi-



inducibus feriat. Ut verò hoc nostræ præceptionis decretum inconcussum permaneat, atque plenorem vigorem accipiens inuiolabiliter per futura tempora conseruetur, nostræ dignitatis anulo insigniri præcepimus. Datum anno decimo regni Domini nostri Dagoberti gloriosissimi Francorum Regis. Dado regie dignitatis Cancellarius recognouit, legit & relegit.

Ceterum Dado iste idem est qui S. Andogenus Polomagensis Archiepiscopus, Dagoberti olim Regis Cancellarius.

De huius monasterij primis initijs ita legitur apud Sigebertum in Chronico.

**A**Nno 629. Dagobertus iram patris sui Lotearij Regis meritis, quia consiliarium eius cæsum & detonsum dehonestauerat; Parisijs ad Ecclesiã S. Dionisij confugit, & quia inde nullo modo extrahi potuit, locum illum semper cordi habuit. Ita Sigebertus. Et hac de causa sancto Dionysio deuotus, monasterium illi fundauit solemnissimum, sanctorum Martyrum memorias auro, & gemmis pretiosissimis adornando. Ita Chronicon Bertinense manuscriptum.

{:o:}



G 3

CAP.



## CAPVT XXIV.

*S. Haimerani monasterium, in vrbe Ratisbonensi.*

640.

**C**irca annum Christi 640. *Haimeranus* Pictonum in Gallia fuit Episcopus: qui relicto Pictauiensi Episcopatu, tempore Constantini tertij, Ratisbonam venit, vt ibi populum in Catholica fide, nuper à S. Ruperto institutum confirmaret, ac magis instrueret, sub Theodone quinto, Bauariæ Duce, qui eum benignè suscepit, & Episcopum Ratisbonensem constituit. Huic Theodoni filia fuit *Huta* quam *Sigibaldus* vir nobilis compresserat: intumescere verò vtero, huius flagitij culpam in S. Haimeranum (qui tum in itinere erat, Romam versus) absentem transfecti Laudebertus autem frater puellæ, rei indignitate commotus, sanctum Haimeranum insequitur, & comprehensum in pago *Helfendorf*, in superiori Bauaria circa monachium, in frustra articulatum dissecari iubet. Membra verò dissecta nauiculæ imposita, aduerso Danubio sunt Ratisbonam translata, ibidem sepeliuntur in sacello S. Georgij extra vrbis mœnia, præsentē Theodone Duce, anno 652. Theodo igitur, vt morstanti Pontificis, cuius innocentia miraculo patefacta est, expiaretur, *Hutam* filiam in Italiam relegat, Landobertus fit profugus, &



gus, & in exilio perit, Iste Theodo monasterij S. Haimerani primus fundator anno 696. exstitit.

Sequenti anno, scilicet 697. *Appollonius* primus huius monasterij Abbas præficitur. Erat tum idem monasterium vix Capella monachorum, sed postea per *Simpertum* Episcopum Ratisbonensem, iussu Caroli magni, fuit magnificè inchoatum & perfectum. De licentia Tassilonis, Ducis Bauariæ, aliquæ prædiorum traditiones casæ constructæ, in honorem S. Petri & Haimerani sunt factæ; inter alias vna, anno Ducatus eius XIII. Ex quo constat Ecclesiam fuisse ante Carolum Magnum Imp. constructam.

Anno Domini 732. Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus *Gaubaldum* Episcopum Ratisbonensem constituit, qui primus in ordine fuit eorum, qui istam cathedram & ordinariam Episcoporum successionem inchoarunt. Nam ante hunc fuere Episcopi tantum aduentitij. Sub hoc Gaubaldo S. Haimeranus est translatus.

Anno 752. *Simpertus* Ratisbonensis Episcopus monasterium S. Haimerani, iussu & sumptibus Caroli Magni Imperatoris, magnificè (vt dictum est) ædificare incepit; sequenti anno S. Bonifacius martyrium subiit apud Frisones.



*Pars altera  
illi quorum  
quiescit in  
S. Dionysij  
monasterio,  
in Francia,*

In hoc S. Haimerani monasterio sepulti sunt quàm plures sancti & celebres viri, inter quos est S. Haimeranus, deinde S. Dionysius, ut volunt, Araopagita, qui vnà cum Rustico & Eleutherio, consortibus suis, sub Domitiano & Sisinnio Fescennino, Præfecto apud urbem Parisiorum Galliarum clarissimam, Martyrio coronatus est. Huius sanctissimi Martyris reliquiarum per Arnolphum Imperatorem ex Gallia, vnà cum pretiosissimo Euangeliorum codice, quem Carolus Rex Franciarum, postea Imperator dictus Caluus, fieri iusserat, ad monasterium S. Haimerani translatae sunt anno 900, pridie Decembris.

Sanctus denique Vvolffgangus, Ratisbonensis Episcopus, in monasterio S. Haimerani corporaliter requiescit.

Arnolphus item Imperator, Carolomanni Regis Bauariæ apud Otingam sepulti, ex illustri femina filius, non tamen legitimus, in hoc monasterio humatus est in choro; pariterque huius filius Ludouicus Rex Romanorum. Hemma præterea Regina, Ludouici Regis Bauariæ filij Ludouici Pij vxor in Ecclesia S. Haimerani post altare S. Achatij requiescit. De qua re magna est contentio inter Haimeranos & momales Superioris Monasterij, quæ asserunt fundatricem in suo templo sepultam, eiusque mausæolum ostendunt, & nituntur diplomate Caroli Imperatoris Crassi, filij fundatricis. Econtra Hermannus Contractus vetus Historicus sic loquitur: Anno Do-

*mini*



mini 876. *Hemma Regina Ratisbona obiit, & in Basilica S. Emerani sepulta est.* Sed utrumque potest verum esse, ut primò apud S. Emeranum sepulta, postea ad Monasterium Superius, locum novæ suæ plantationis sit translata: quod sæpe contingit. Et putat Auentinus lib. 4. mausæolum, quod apud S. Emeranum ostenditur, non esse *Hemma*, sed potius *Huta Augusta*, vxoris Arnolphi Imperatoris.

*Henricus primus Bauariæ Dux, ex gente Saxonum, frater Ottonis magni Imperatoris, dicitur quoque in hoc monasterio humatus, sed quo in loco, non constat, Auentinus in Annalibus, Huius filius Henricus Bauaria Dux secundus, cognomento Rixosus, in monasterio S. Haimerani, in sinistro latere, prope chorum humatus est.* E regione huius Henrici, Ducis Bauariæ, patris Henrici sancti Imperatoris, hodie cernitur sepulchrum *Arnoldi*, Ducis Bauariæ, cognomento *Mali*.

In hoc monasterio sepultus est etiam *B. Rainoldus*, eiusdem monasterij Abbas, S. Vvolfgangi patruelis, quem S. Vvolfgangus è Treuerensi vocauit cœnobio, & S. Emerani primò Præpositum, deinde Abbatem constituit anno 975.

Aedificauit hic *Rainoldus* cryptam sui nominis, in qua sibi sepulcrum designauit, quam S. Vvolfgangus dedicauit. In qua crypta iuxta aram S. Gregorij, & omnium Confessorum, humatus est cum hoc disticho:

*Obiit anno  
1001.*



*Signis clarescit pius hic Rainoldus humatus,  
Celo fulgescit celestibus associatus.*

Obijt anno M. I. X V. Kalendas Iulij.

Claruit miraculis quàm plurimis, vt patet  
ipfius historiam legenti. Huius Rainoldi  
temporibus puella quædam, filia Regis Fran-  
ciæ, Aurelia nomine, ad vitandum mariti  
commercium profuga, venit ad monasteri-  
um S. Haimerani: quam S. Vvolfgangus col-  
locauit in solitudine, quæ nunc vocatur Sa-  
cellum S. Andreæ, iuxta vrbs Ratibonensis  
mœnia, vbi in vigilijs & orationibus 52. an-  
nis deuotissimè vixit, & anno 1027. Idibus  
Octobris obiit, & in ambitu monasterij S.  
Haimerani sepulta iacet, ad partem Australe-  
m, habens in superiori marmore hoc disti-  
chon:

*Hic pia florescit Aurelia virgo sepulta,  
Quæ pœnas nescit, celi dulcedine fulta.*

In Australi ambitus plaga beatæ memoriæ  
Adalbertus, huius monasterij Abbas sepultus,  
requiescit intra cancellos ferreos, cuius mau-  
seolo inscripta hæc carmina:

*Floruit hic signis Abbas Albertus opimis,  
Illius precibus Iesu Rex parce redemptis.*

Obijt anno 1177.

Vixit sub Friderico primo, Imperatore  
Romano. Inuentum est corpus Hemme Regi-

na, vxo-



næ, vxoris Ludouici, Regis Bauariæ, inter ruinas murorum ex incendio anno Domini 1163. collapsorum. Præter has celebres personas, in monasterio S. Haimerani requiescunt 18. Episcopi Ratisbonenses, Sic ferè Viguleus Hundius in Metropoli sua Salisburgensi.

## CAPVT XXV.

*Regni Francia cœnobîa varia.*

**M**ollispeci cœnobium Abbatiale apud Bituriges, vulgò *Meobec en Berry*, Dagobertus I. Galliæ Rex excitauit: exstatque diploma apud Renatum Choppinum lib. 2. Monasticum, tit. 2. Ego Dagobertus filius Clotharij Regis, filij Chilperici, filij Clotharij &c. Datum anno Salutis 642.

*Insula Barbaræ* Abbatiam apud Lugdunum si non fundauit, certè instaurauit omnino ruinosam Carolus Magnus Imperator: vt in Historia Lugdunensi lib. 2. cap. 106. legitur.

Monasterium S. Michaëlis ad Erenum instaurauit Guilielmus Aquitaniæ Dux, Caput stupeum nuncupatus.

*Cormeriacum* in D. Turonensi fundauit Carolus Magnus ac dotauit ex templi Martiniani prædijs, agente in primis Iterio primo illius loci Abbate.

In vr-



In vrbe Senonensi Chilpericus Rex ædificauit monasterium SS. Petri & Pauli, temporibus S. Remigij Remensis Archiepiscopi: vt testatur Odoramus in Chronico Senonensi, quod, memini, vsque ad annum 1121. exstat in monasterio S. Petri viui Senonensis.

S. Luciani primi Bellonocarum Episcopi & martyris cœnobium Abbatiale, in suburbano Bellonacensi, idem Rex instaurauit. Ita Choppinus loc. cit.

S. VVandregisilus construxit *Fiscanum* & *Fontanellum*, in finibus Neustriæ: vt in Chronico Sigeberti ad annum 622. legitur, Glaber Rodolphus dicit illud ædificatum à Guiljelmo duce Normanniæ, vbi & sepultus est.

*Altum Villare* exstruxit Niuardus Archiepiscopus Remensis, idemque S. Baslei monasterium vanis immunitatibus donauit, teste Frodardo.

Abbatiam SS. *Sergij & Bacchi*, iuxta urbem Andeganensem excitauit Clodoneus I. Rex Gallie, itemque Abbatiam Iucundæ-vallis, vulgò *Ioyenual*, in agro Parisiensi.

Childebertus Rex fundauit Abbatiam S. *Germani de pratis*, in suburbijs Parisiorum, vt supra diximus, & Abbatiam *Montis S. Michaëlis*, quæ est *in periculo maris*, in maritima Normanniæ ora. Alij volunt hanc posteriorem à Richardo Normanniæ Principe, conditam fuisse.

B. Riculius Archiepi. Remensis *Orbesium* monasterium exstruxit in fundo, quem Theoderi-



dericus Rex ipsi donarat teste Frodoardo.

S. Medardi cœnobium apud Sueffiones  
Clotharius; S. Germani cœnobium, quod  
nunc est S. Albini, apud Andes Theodebertus  
excitarunt. Cœnobium S. Ioannis Angelia-  
ci in Sanctonibus, de S. *Iean d' Angeli, en Xain-  
ctonge*, anno 761. Pipinus rex in honorem  
S. Ioannis Bap. erexit, in opido quod pro-  
pterea S. *Ioannis Angeliaci* vulgò nuncupa-  
tur.

761.

Abbatiam S. Florentij veteris, apud Andes,  
& Abbatiam S. Iudoci ad mare; iuxta Mon-  
strolium opidum, Carolus Magnus; Abbati-  
am de Nobiliaco, de *Noûaille*, in Pictonibus,  
Ferrariensem, de *Ferrieres*, in Senonibus, Car-  
roffi, de *Charroux*, S. Maxentij, S. Sauini, in  
Pictonibus, Ludouicus Pius; S. Martini de  
campis cœnobium apud Parisios anno 1060.  
Henricus; Tyri Abbatiam, de *Tyron au perche*,  
ind. Carnutensi sub annum 1110. Ludouicus  
Crassus; Fiscanense monasterium, *Fescamp*,  
Guilielmus Bastardus Normanniæ Dux; Ab-  
batiam S. Gildæ & Burgi Dolensis, *du Bourg di-  
eux* apud Bituriges, Ebbo Dolensis Rhulius;  
Auriliacense monasterium, de S. *Gerault d' Au-  
rillac*, in Aruernia, D. Geraldus; Latiniacum,  
*Laignij*, S. Furseus Hibernus fundarunt.

Ita Choppinus lib. 1. de sacra Poli-

tia tit 4.

(o)

Mona-



*Monasteria exempta Regni Gallie.*

**S**VNT in Gallia ordinis S. Benedicti cœnobicia quamplurima exempta ab omni iurisdictione Episcopali, atque à Romana sede immediatè dependentia: quæ sese in piam societatem seu congregationem redegerunt, iuxta decretum Consilij Lateranensis anno 1215. sub Innocentio III. celebrati. Quæ quidem Congregatio condidit Statuta regularis disciplinæ in Turonensi, Senonensi ac Bituricensi prouincijs: vt tradit Choppinus lib. 2. Ecclesiasticæ Politicæ &, lib. 2. Monasticæ tit. 3. §. 13.

Inter monasteria exempta sunt ista:

*S. Gildasij*, monasterium, in diœcesi Venetica apud Britones.

*Riuense* monasterium ibidem.

*S. Saluatoris* de Carnusio, apud Pictones.

*S. Ioannis* Angeliaci in D. Santonensi.

*S. Seueri* in Vastonia, & D. Adurensi Monasterium *de Sorde*, in D. Aquensi.

*Blauimontis*, in D. Vasatensi.

*B. Mariae de Carignotes*, in D. Adurensi.

*S. Martini Athanatis*, apud Lugdunum Gallicè *d' Aisnay à Lyon*.

*S. Andreae* monasterium Viennense, Monasterium *S. Mariae & S. Marcellini de la Chaume*, à Rothono Britannicæ Abbatia dependens.

*S. Trinitatis Vindocinensis* Abbatia exempta per Honorium. III.

*Maus*



*Maius Monasterium*, haud procul ab vrbe  
Turonensi, *Maire moustierlez Tours*. per  
Eugenium III.

*Rothomensis* Abbatia, de *Rhedon*, in Britan-  
nia minore per Nicolaum V.

*S. Benedicti Floriacensis*, Gallicè *S. Benoit  
le Fleury sur Soire*, per Alexand. III. &  
Clementem IV.

*Burgidolensis* Abbatia, de *Bourg dieu en Ber-  
ry* per Innocentium IV.

*S. Crucis* Abbatia *Burdigalensis*.

*Casa Dei*, in *Aruernia*, suæ Congregationis  
caput.

*S. Germani de Pratis*, in suburbio *Parisiensi*.

Sunt & nonnullæ abbatia Virginum  
*Benedictinarum Exemptæ* in regno *Gal-  
liæ*, vt *Abbatia Nostræ Domine Suesionensis*,  
fundata per *Drosium* Episcopum *Sues-  
sionensem* & munificè dotata  
per *Carolum Magnum*:

& alia.

{:o:}





## CAPVT XXVI.

*Cellensis Abbatia, in d. Trēcensi, in Campania  
regni Francia prouincia.*

650.

**C**oenobium *Cellæ* seu *Cellense* ordinis S. Benedicti, quod etiam coenobium S. Petri *Insulæ Germanicæ*, siue S. Petri de *Calla*, vel *Cella S. Bobini* nominatur (non Bononi, vt mendose alicubi scriptum legitur,) non longe ab vrbe *Tricassina* situm est, & celebritate nominis semper conspicuum existit; tum quod ante complura sæcula prima eius fundamenta iacta sunt, tum quod maximo coenobitarum numero, diuinis officijs & sacrarum litterarum studijs toto pectore incumbentium olim floruerit. Quorum quidem nonnulli ob insignem eruditionem cum pari pietate & sanctimonia copulatam, ad ecclesiastica munera & sacrarum dignitatum apices prouecti sunt, vt manifestum est ex historia S. *Frodoberti*, qui coenobij illius incunabula, Gallici imperij clauum tenente *Clodoneo II.* cirçiter annum 650. excitauit. Idem autem Princeps S. *Frodoberto* solum concessit, in quo memoratum coenobium conditum fuit, quod noto vocabulo *Insulæ Germanicæ* nuncupabatur: cuius fundi circuitus ad decem terræ iugera porrigebatur, sicut disertis verbis conceptum est, & expressum in adprobationis confirmationisque diploma-

650.

ploma-



plomate, dicto S. Frodoberto à Clotario III. Laudati Clodonxi filio, circiter annum 663. concessio, verum non otiosum fore arbitror eas litteras, quo posteris integræ & illibatæ relinquantur, hîc adscribere. Hæc est igitur earum series ex Chartario dicti monasterij bona fide excepta.

Clotarius Rex Francorum vir illuster, regia consuetudine, sinistris petitionibus sacerdotum, in quo nostris auribus fuerint prolata perducimus ad effectum. Igitur Frodobertus monachus ad nostram accessit præsentiam, clementia regni nostri suggestit, eò quòd bonæ memoriæ Dominus & genitor noster Clodoneus quondam Rex per suam auctoritatem sua manu subscriptam, locello nuncupato insula Germanica, qui paludis esse videtur in suburbano Trecaßium ciuitatis ipsius, Frodoberto monacho, vbi monachuli sub S. regula ad cellulam, quam suo opere inibi construxit, bono creâ decem de ipsa Insula (quòd pars fisci esse videtur) eidem concessisset: vnde & cessionem ipsius Principis sua manu subscriptam, se præ manibus habere affirmat, & rem isto tempore præsentem, quieto ordine adserit possidere vel dominari. Sed pro totius rei firmitate petijt consuetudinem nostram, vt hoc nostrum præceptum in idipsum plenius confirmare deberemus: cuius petitionem pro reuerentia sanctorum Dominorum prompto animo præstitisse vel confirmasse

H

cogno-



cognoscite. Præcipientes enim ut sicut ab ipso Domno & genitore nostro iam dicto Frodoberto, ipsa Bono crea de terra in subscripto loco legaliter ad ipsam cellam ubi constructa esse videtur, fuerunt concessa, & hoc præsentis tempore subscripti monachi inibi possidere vel dominari videntur, inspecta ipsa cessione superius scripti Principis, per nostrum præceptum plenius confirmatum, ad ipsum Sanctum locum, vel ad monachulos suos, qui ibidem adseruire videntur, perenniter proficiat ad augmentum. Et ut hæc præceptio firmior habeatur, nos & præcelsa Domna & genitrix nostra Batildis Regina manus nostræ signaculis subter eam decreuimus adfirmare. Signum præcelsæ Domnæ Batildis Regine. Rado. Obto.

Monasterium S. Arnulphi, in Ducatu Valesie, apud Crispeium opidum.

**E**st Prioratus Congregationis Cluniacensis, sic dictus à S. Arnulpho Turonensi Archiepiscopo & Martyre. Cuius quidem sacrum corpus ut & Sponsæ ipsius S. Scaribergæ, adseruatur in dicto monasterio S. Arnulphi apud Crispeium: quod licet exiguum sit opidum, in ditioe Sueffionensi situm, est tamen caput Regij Ducatus Valesiani in Francia. Vixit autem S. Arnulphus sub Clodueo



doueo primo Rege Franciæ circa annum 513.  
Vt in quibusdam exemplaribus Sigeberti  
chronographi legitur. Vita eiusdem exstat  
manuscripta in dicto monasterio, & typis  
edita in Bibliotheca Floriacensi, Parisijs an.  
1605. publicata.

*Monasterium S. Dionysij de Nogento Rotrodi.*

**E**st id à Gaufrido Vicecomite Castrodu-  
nensi fundatum anno 1. regni Henri-  
ci I. Galliæ Regis, bonisque auctum à Retro-  
ro nepote, Pertici Comite anno 1190. teste  
Choppino lib. 2. monasticorum tit. 7. art. 6.

## CAPVT XXVII.

### S. GISLENI

*Cænobium, in Hannonia, quod olim Cella  
est nuncupatum.*

**G**islenopolis Hannoniæ opidum est, palustri  
loco, inter Valentianas, & Montes Han-  
noniæ situm: cuius muris illustre vetusq;  
cænobium includitur, quod à S. Gisleno condi-  
tore nomen induit. De quo Fulbertum, Doctorem  
clarissimum, S. Auberti Cameracensis. Episcopi  
res gestas narrantem audi: Athenis vrbe Græ-  
corum nobilissima adolescens quidam inclytis  
ortus natalibus, studijsq; literalib. propemo-  
dum exercitatus, sed & fidei moribus adorna-  
tus, ex inspiratione superni amoris patriam,

*S. Gislenus  
in hoc mo-  
nasterio  
quiescit.  
Floruit  
An. 651.*



parentesque deferere, cursumque longa peregrinationis meditabatur adsumere, quatenus impensione temporalis exilij mercaretur æternæ portionem hereditatis. Igitur Romam adueniens, oratoria Apostolorum, orationis gratiâ lustrando, aliquantulum temporis expleuit. Qui nocte quadam lassescens exitinere artubus, in somnū resolutus diuinæ iussionis voce monetur occiduos Galliarum fines expetere, pagumque Hagnou penetrans, congruum suę habitationis locum quærere, ubi constructo oratorio vocationis suæ tempus exspectaret, sciensque diuinam providentiam sibi semper adfuturam, laboriosi cursus non paueret iniuriam, donec ad locum perueniret, ibique inueniret, qui sibi peregrinationis portum indulgeret, & rerum adiumenta præstaret. Quâ voce diuinâ beatum portendi Autbertum sequentia indicant. Sed iussionem Domini explere desiderans vir Dei Gislenus, sic enim erat nomen illi, regionibus diuersis, insulis & urbibus peragratis, prospero cursu tandem peruenit ad locum, qui tunc temporis Vrsidungus ab incolis dicebatur, ex consuetudine videlicet vrsæ parturientis, nunc vero Cella vocatur. Qui locus distat trigenis ferè millibus ab urbe Cameracensi, in qua ipse ex diuino oraculo sanctum Pontificem supra gregem Christi cura peruigili audierat insudare. At ille, noxijs auulsis arboribus, basilicam in honore beatorum Apostolorum coepit ædificare, studijs-



disque bonorum excitare. Disseminante ergo diabolo zelum inuidiæ per corda malorum, auditum est aliquos, ut est mos adulantium, sancto Episcopo suasisse, non debuisset pati pseudodoctorem in finibus suis ad inuidiam sui honoris, manere; sanè qui ad seducendas mentes simplicium, urbana sapientium conuenticula vitans, in has solitudines deuenisset. Sed vir Domini aduersus suggestionem inuidia potius, quàm ratione compositam: Non est, inquit, nostrum hominem indiscussum iudicare, neque omni spiritui credere, donec probetur, si ex Deo sit. Mittitur itaque nuntius, qui hominem ad conspectum Pontificis accersire debeat: hoc interim proposito, ne vir Dei ex cōuentu quouis iniuriæ motu contristaretur. Euocatus autem beatus Gislenus, coepit Deo gratias agere, quod se per summum Pontificem superna gratia visitasset. Perueniens itaque ad urbem sancto presentatur Episcopo, quem ille, ut flagrabat caritatis dulcedine, sic affatur: Dic nobis, inquit, frater carissime, cuius ciuitatis es, cuiusve dignitatis. Cui ille respondens: Græcus, inquit, sum natione, Christianus verò dignitate, Athenis ortus, baptisma te renatus, ita Romam adiens per Dei præceptum hanc perueni in patriam, super flumen Hagnam in loco, qui dicitur Vrsidungus, operor manibus, ædificare gestiens Deo oratorium. Desiderabam equidem tuam expectere sanctitatem, petiturus licentiam agendi,



quæ sunt coepta; sed præuenit gratia tua, quæ me accersuit. Intuitus autem almus Episcopus viri sermones, nihilque in eis reprehensionis deprehendens, dilexit eum, sicque per aliquot dies gratia hospitalitatis retentum, & corporalis alimonie subsidio, & sacro spiritualis vitæ colloquio satiauit. Dehinc benedictionis suæ munere donatum, acceptaque regrediendi licentiâ, eum venerabilis pater hortatur perficere studio, quæ coeperat: sicque peractis, quæ congruerent, oratorium suæ auctoritatis benedictione consecraturum promisit. Qua Episcopi promissione lætus, operi ardentius instabat, animaduertens iam sibi ex rerum euentu illum inuenisse, quem ad ministerium socialis laboris, diuinitus audierat sibi promissum. Expletis verò pro modulo suo, quæ monasticis vsibus congruebant, vir Dei venerandum talibus verbis interpellat Episcopum: Tempus adest pater, quo seruo tua Dominus Pontifex promissæ benedictionis munus exsoluere debeat. Gaudens igitur venerabilis pater bonis viri studiis, accersito secum beato ac venerabili Dei cultore Amando, cum magna circumfusæ plebis exultatione, monasterium prædictum ad laudem Domini, & honorem Apostolorum Petri & Pauli consecrauit. *Hactenus Fulbertus.*

*Eadem serè sed breuius Chronographus Cameracensis commemorat: Beatus Gislenus ab Athenis digressus, dum ortis simulatibus apud*

B. Aut.



B. Autbertum accusaretur, ille aduertens simulationis causas, non solum non condemnandum æstimauit, sed cum magna ueneratione suscepit, Ecclesiamque, quam idem S. Gislenus construxerat, adsumpto secum B. Amando, in honore Apostolorum consecrauit.

*Et infra:* Nec procul à monte Castriloco, in loco quem dicunt Cellam, monasterium est monachorum S. Gisleni. Istenimirum visione angelica admonitus, ab Athenis digressus, cursum suæ peregrinationis in istam partem direxit, illudque monasterium auctoritate sancti quoque Autberti, sed & sancta Vualdetrude, cui tunc temporis familiari dilectione inhæserat, opitulante, fundauit. Qui quantus vel qualis vixerit, liber qui de vita eius inscribitur, plenius exprimit. *Hactenus ille.*

*Quomodo autem S. Gerardus Abbas Broniensis, à Gisleberto Lotharingia Duce euocatus, Canonicis hic monachos substituerit, fuse narratur in historia vite eiusdem S. Gerardi, à quodam monacho Broniensi ad Gonterum Abbatem scripta; Gisleberto Lotharingia Duci Christi confessor Gislenus, nocte intempestâ per visum apparuit, & querelam miscens preces, sic ei locutus est: Noueris me diutiùs ferre nō posse quotidianas cōtumelias, quibus afficiūt me Vrsidungi Cellenses clerici, In meo enim cœnobio, quod mihi Christus donauit, nulla omnino religio seruatur. Oēs, quæ sua sunt,*

*Circa  
An. 930.*

*Apud Surin.  
To. 3. Oct. 3.*



quarunt, quæ autem Dei sunt, ea nihili pendunt. Sed quia Lotharingia tibi paret, obsecro te, per Christi nomen, ne differas idoneum mihi pastorem inquirere. Quod quidem ut obtinere queas, à me paucis accipe. Est in pago Lomacensi locus, quem Bronium vocant, in quo quidam Gerardus degit, verus Christi servus, eum mihi assume, & cœnobij mei curam illi demanda: siquidem ad id muneris nemo in hac regione mihi illo magis idoneus videtur. His dictis visio disparuit.

Porro Gislebertus non immemor visionis, eam ad effectum perducere volens, accersit Cameracensem Episcopum Tietdonem, & Raginerum Hainoensem Comitem, iisque quidquid ea visione acceperat, exactè commemorat. Et cum ab eis peteret consilium, illi aiunt se nihil audere consulere aliud, quàm quod diuinitus facere iussus esset. Tum Gislebertus ad eos: Ocyus ergò, inquit, ad virum Dei abire cum virga pastoralis, eumque curam huius Ecclesiæ suscipere compellite. Illi mox accinguntur ad iter, & perueniunt ad locum optatum. Quem secum abducentes non absque incredibili Broniensis Ecclesiæ luctu, celeriter Vrsidungum repetunt, & Abbatem eum constituunt. At ille clericorum illic degentium non bonâ vitâ accuratiùs inuestigatâ, consultum exstimaui, ut ab illa Ecclesia excluderentur. In eorum autem locum substituit dignam Deo monachorum sodalitatem. *Hactenus ex vita S. Gerardi Broniensis.*

Bea-



Beatum porro Gislenum in Gracia monachum ordinis S. Basilij fuisse, testatur Philippus ab Eleemosyna, in vitæ eius historia. Nam ut in Occidente S. Benedictus; sic in Oriente S. Basilii Magnus monachorum pater ac princeps existit, ut qui primus duriores illum veterum monachorum ritum ad meliorem normam, magisq; religioni congruentem, redegit.

## ALTIMONTENSE ET SONEGIENSE

*Monasteria in Hannonia.*

**I**llustria hæc canobia S. Vincentius, cognomento Madelgarius, Dux nobilissimus, & S. Vualdetrudis Electæ maritus exstruxit. De ijs fusè Chronographus Cameracensis: Nec præteream, inquit, vicum, quem Altum Montem dicunt, nec immeritò sic nominatum, cum beatus Vincentius, cum multis viris religiosi, qui cum eo fuerant, sua conuersatione reddiderit sublimatum. Porro iste Vincentius Comes egregius, sanctæ Vualdetrudis maritus, iuxta quidem secularem eminentiam, & rebus & genere potentissimus, eruditione tamen & crebris monitionibus beati Auberti Pontificis Cameracensis informatus, secularis militiæ pompam procul abhorruit, Deique obsequijs mancipare se potius æstimauit. Igitur cum de loco suæ con-

*Floruit  
An. 651.*

*S. Vincētius  
quiescit Sonegijs, & S.  
Vualdetrudis Montibus Hannonia, in basilica nobilium virginum, à se instituta.*

H 5

uerfa-



uersationis expetendo sollicitus curam gere-  
 ret, non defuit diuina pietas, sancti viri desi-  
 derium completura. Nam quadam nocte  
 pluit Dominus niuem, & omnem regionem,  
 circum & circa nineo rore respersit, excepto  
 paullulo loci, quod in supradicto vico, in  
 modum videlicet crucis, respergendum re-  
 seruauit. Quod vir Dei suo desiderio cæli-  
 tûs contigisse altiore consilio intellexit, di-  
 uinoque indicio certior factus, mox eodem  
 loco monasterium ex proprio sumptu fun-  
 dauit. Quod etiam suus magister Autbertus  
 viris secum religiosis adhibitis, in honore  
 Apostolorum Petri & Paulli dedicauit, ibi-  
 que vir sanctus feliciter conuersatus, lau-  
 dabilis vitæ sanctitatem ducere adstuduit.  
 Ad cuius piam conuersationem multi viri  
 religiosi confluxerant, traditisque prædijs &  
 proprijs rebus cū sacro viro degentes, ad vi-  
 tæ regularis normā sese construxerant. Cum  
 autem locus à Regibus & Principibus au-  
 gmentari, & frequentia fratrum populōsus  
 coepisset haberi, vt liberius Deo vacaret,  
 ad secretiorem locum secessit, quem etiam  
 locum paullò posterius dicam. Huius verò  
 forma, & exemplo religio monachorum  
 postea multo tempore adoleuit, sed per in-  
 cursus gentilium, imò per crebras seditio-  
 nes domesticorum, subripiēte inopiā, or-  
 do monachalis ad canonicalem redactus, sic  
 ad tempus Domini Gerardi Episcopi vs-  
 que me mansit: Quod verò cernens Episco-  
 pus,

*Senegias  
 intelligit.*



pus, præcepto Henrici Imperatoris, confilioque Herimanni Comitis, ac voluntate sui fratris Godefridi, fratris videlicet Episcopi, qui ex parte Herimanni Comitis ipsum locum in fisco tenebat, emelioravit, & facto Abbate Fulcuino in pristinum ordinis statum reformavit. Hic autem vir bonæ memoriæ Abbas, cum summo studio & labore nominis sui officium librans, & vsum regulæ interius docuit, & locum omnem pro modico temporis, vtpote adhuc novitium, pulchris ædificijs, & vsui monachorum necessarijs, exterius insigniuit.

\* *Et infra.* Repetamus locum, quem relictis quidem in Alto monte fratribus, expetijisse B. Vincentium prædiximus. Hic ab incolis Sungenias nuncupatur, vbi ipse vir Dei à frequentia populari remotus, fratribus sociatus monasterium struxit, ibiq; exactis huius vitæ curriculum, feliciter sepultus, cum filio suo † Landrico, Meldensi Episcopo, in pace quiescit.

*Et iterum:* Est monasterium in pago Hainou, in villa quæ dicitur Altus Mons, quod S. Vincentius B. Autherti prædicatione de laico monachus factus, & rebus sui iuris, sub monachorum religione construxit, ac sub regia manu per multos annos non mediocriter floruit. Superuenientibus autem causis diuersarum tempestatum, Comitibus in beneficium traditum est, & ad tantum casum paulatim deuolutum, vt monachis quidem egestate coactis, paucorum clericorum cu-

stodiæ

\* Lib. 2.  
† S Landri-  
cus Mel-  
densis Epi-  
scopus. S.  
Vincentij fi-  
lius, cuius  
S Demo-  
chares me-  
minit lib. de  
Sacrificio  
Missæ in ta-  
bulæ Episco-  
porum Mel-  
densiū. Er-  
rāt itaq; qui  
eum noctē-  
sem Episco-  
pum nuncu-  
pant.  
Lib. 3.



stodiæ mandaretur. Procedente verò tempore contigit Arnulfo patri Domini Gerardi I. Episcopi Cameracensis à Comite Herimanno in beneficio compensari. Hic audito de antiquitate & summa veneratione loci, sicuti vir sanctus, ad pristinum gradum voluit reformare, sed subripientibus causis bellorum non potuit. Post cuius excessum is Arnulfo filio hereditariè cessit. Huius nimirum meliorare volentis desiderium diuina clementia secundauit. Ipso enim tempore frater suus Gerardus ad Pontificium subleuatur, cuius tam consilio quàm auxilio pulsus quidem Canonicis, Domno Abbate Richardo monachorum religio reuocatur Qui Richardus postea Fulcuinum Abbatem sibi substituere æstimauit. Hunc ergò Dominus Gerardus Episcopus, vnaque Abbas Richardus Imperatori præsentarunt Abbatia donandum. Subrogatus itaque Fulcuinus, multo labore monasterium, quod desertum inuenerat, Domino Episcopo adiuuante, tam claustro & ceteris ædificijs, quàm regulari fratrum seruitute munuit. Quod ita innouatum Kalendis Maij in honore SS. Apostolorum Petri & Pauli, ut ante fuerat, Dominus Episcopus consecrauit. *Haëtenus ex Chronographo Cameracensi.*

*Porro Altimontense cænobium, vulgò, Haulmont, milliari vno à Melbodio Hannonia opido distans, hodieq. monachi Benedictini possident, Sonegia autem, vulgò Soigny, paullatim in opidum*



pidum muris cinctum (vt & alia Belgij cœnobîa plurima) excreuerunt; eoq; in loco B. Bruno Archiepiscopus Coloniensis & Dux Lotharingia, insigne Canonorum secularium collegium ordinauit, & basilicâ claustroque reparatis, constitutiones iuxta regulam S. Augustini eis præscripsit; vt in manuscriptis Hannonia Chronicis Iacobus Guisianus commemorat. An. 965.

## LA VBIENSE

*Monasterium, ad Sabim fl. secundo milliari à Binchio Hannonia opido, in ditione quidem Leodicensi, sed in diœcesi Cameracensi situm.*

**E**st locus intra terminos pagi, quem veteres à loco, vbi superstitiosa gentilitas Marti sacrauerat, fanum Martinense dixerunt, iuniores à nomine profluentis fluuij Hainou vocauerunt, in pago Sambrino, vbi Sâmbra fluens blandâ & amœnâ ripâ decurrit; quem hinc inde prominentibus collibus planities quædam, & nemorum opacitas, & oportunitas loci gratissimum reddit. In quo loco riuiulus delabitur in Sambram, quem Laubacum vocant, eundemque putant nomen loco dedisse. Licet sint aliqui, qui dictum putent, quod pro oportunitate capiendarum ferarum (vndique enim saltu cingitur, vinctinæque erant Liptinæ, regium olim pala-

*Ad Liptina  
sen Liptinas*

pala-



*Synodum  
celebrauit. S.  
Bonifacius  
Archiepi-  
scopus Mo-  
guntinus,  
præsente  
Carloman-  
no. Hodie  
Pagus est,  
Lestines,  
milliari  
uno à Bin-  
chio Han-  
nonie opi-  
do situs.*

palatium) Rex pergens venatum ibi sibi fieri iusserat obumbraculum, ad temperandum solis æstum, quod Lobiam vocant. Inde putant locum dictum nomine permanente, riuiumque à loco, non locum à riualo nomen traxisse, quod videtur magis verisimile esse. Teutones hoc astipulare videntur: nam locus ille eorum lingua *Lobach* dicitur. Et *Lo* quidem vocant obumbrationem nemorum, *Bach* autem, riuum; quæ duo si componantur, faciunt obumbraculi riuum. Erat autem locus parandis insidijs, & latrocinantibus aptus. Nam sicut dictum est, cinctus est siluis, & exasperatus scopulis; vnde & perpetrato scelere non inueniebatur hostis. Tali ergo oportunitate captatâ Morosus quidam, vir huius artis & operis, tali in loco latrocinij insisteat, tempore quo à Clodoueo septimus Lotharius agebat in sceptris. Qui cum minimis sceleribus non vsquequaque contentus, grandiora quæque moliretur & ageret, tandem miserante Domino, per sanctum Autbertum Cameracensem Episcopum (nam parœcia est ipsius Ecclesiæ terminus, licet huc vsque & Leodiensis protenditur) de Moroso in Landelinum conuersus, secundus de Saulo factus est Paullus, & finem vitij dedit, & locum sacris studijs immutauit, vt quem commaculauerat vitij, virtutibus dedicaret, vt vbi superabundarat peccatum, superabundaret gratia, vt ait Apostolus. In quo loco Ecclesiam sibi pro tēpore

con-



constituens, deflebat quibus antea delectabatur, manu & labore victum quærens, la-  
sciuiamq; carnis ieiunijs, & vigilijs domans,  
& exercebatur summo mentis conamine in  
his, quæ sunt Dei, vt omnes mirarentur vi-  
dentes cōmutationem dextræ excelsi. Talibus  
igitur exercitijs, pluribus ad id studij confluē-  
tibus speculum factus est. Sicque Lobien-  
sis cœnobij fundator exstitit primus. Sed præ-  
ordinatio, de qua proposuimus, Dei, qui non  
omnia iudicia sua manifestat (*iudicia enim  
tua, ait Psalmus, abyssus multa*) voluit beatum  
Landelinum Lobijs demigrare, vt alteri quā-  
doque subsecuturo locus vacaret, ne vtrique  
super alterius fundamentum ædificia strue-  
ret, & detrimentum pateretur, & ne meri-  
ta tanta duorum vnus loci angustia arctaren-  
tur. Horum fortè præscius beatus Landeli-  
nus, Lobijs demigrans, Crispinium petijt.  
Nec defuerunt adiutores & cooperatores, in  
supradicti loci augmentatione, quamplures,  
licet nomina eorum exciderunt, temporibus  
Lotharij filij Clodouei, qui regnavit annis  
VIII. sed & fratrum eius Hilderici Secun-  
di Regis Austrasiorum, & Theoderici, quem  
Pipinus debellauit, sub seque regnum fi-  
nire permisit, post annum regni ipsius  
Theoderici decimum octauum, Clodouei  
quoque filij Theoderici, qui regnavit annis  
duobus, sed & fratris eius Hildeberti, co-  
gnomento Iusti, qui omnes regnauerunt sub  
præfato Principe, regni tum eis nomine  
perma-

S. Lande-  
linus Lau-  
biense cœ-  
nobium  
fundat. E-  
ius vita ex-  
stat apud  
Surium.



*S. Vrsmarum  
Laubiense  
cenobium  
regendum  
suscepit B.  
Landelino  
Crispini  
profecto.*

*Id est par-  
ticulis  
phrasi  
Gallica.*

permanente. Quo in tempore, secundum quod in Actis Apostolorum legitur, in Asiam volentes ire discipuli prohibiti sunt à Spiritu Domini, quoniam seruabatur Ioanni; B. Vrsmarus virtutum exercitijs clarus, cui Lobias Apostolatus locum delegauerat Dominus, à Pipino iam dicto Principe euocatus, idem monasterium regendum suscepit per Hidulphi interuentum, qui erat vnus de proceribus regni maioribus. Cuius indicia memoritorum fuerunt, puer ille & panis matri in vremate præmonstratus, & scansio illa beata scalæ à terra cælotenus; quæ omnia quantum beato viro congruunt, ex actibus eius cognoscimus.

*Et paullo infra:* Quare autem Vrsmarum Episcopum fuisse dicimus sæpe à nobis questum est. Nam textus descriptionis vitæ eius Episcopum eum fuisse docet, locum autem vel tempus ordinationis ipsius, vel à quibus ordinatus sit, omnino silet. Sed in chartis sub eius tempore factis, ac per antiquis membranarum peciolis, quæ continentur in Ecclesia nostra, inscriptum eum inuenimus sub nomine Episcopi & Pontificis. Varia de hoc est seniorum nostrorum relatio, dicentibus quibusdam, quod prædicandi gratia, ut compete-  
bat tunc rudimentis nouellæ fidei, ad cõpescendos superfluos ritus gentis barbaræ, Episcopus fuerit ordinatus; quod factum quoque de sancto Amando legimus. Quibusdam hanc dignitatem tribuentibus, rationemque

tuen-



tuentibus, quod videlicet locus regius, regiâ  
munificentia constructus, regio palatio con-  
tiguus, scilicet Liptinis, nulli cōmitteretur,  
nisi prius ordinatus esset Episcopus. Quam  
dignitatem in plerisque successorum eius du-  
rasse in subsequētibz dicemus. Quid ho-  
rum verius sit, lectorum arbitrio committi-  
mus. Igitur in exordio regiminis sui, Eccle-  
siam, quæ ante id temporis erat in consecra-  
ta, consecrauit, dedicans illam Domino in  
honore Principis Apostolorum Petri, sum-  
mique Doctoris gentium Pauli, & omnium  
Apostolorum Christi, cumulus templum  
donis, & altare multiplicibus Sanctorum  
patrocinij. Facta est hæc dedicatio anno qui  
est sexcentus nonagesimus septimus Do-  
minicæ incarnationis, VII. Kalendas Septē-  
bris, Domino in perpetuum regnante, Pipi-  
no Francis principante. Quam Ecclesiam ne-  
quaquam passus pollui cadaueribus mortuo-  
rum, fecit aliam in honore sanctæ Mariæ, in  
montis vertice cui subiacet prædictum mo-  
nasterium, vbi cœmeterium constituit esse  
fidelium, & ad quam conflueret populus.  
Nam illicitus, vt nunc quoque, nisi certo tem-  
pore, apud aliam erat seminarum accessus.  
Monasterium quoque in Alna ipse constru-  
xit, & Lobij subiecit. Monasterium quoque  
Vuaslare dictum, versus Theoraciæ saltum,  
in finibus Faniæ ædificauit, cui & Dodonem  
præfecit, virum admodum sanctum, vtpote  
a se instructum, qui paullisper inibi moratus

I

ere-

Præter S.  
Vrsmarum  
Episcopi &  
Abbatē  
Lambienſes  
fuere SS.  
Erminus,  
Vulgisus:  
& Theo-  
dolphus  
quorum  
corpora  
Binchij  
quiescunt.  
An. 697.  
Huius loci  
collegium  
Canonicor-  
um, nunc  
residet Bin-  
chij in Hā-  
nonia, an.  
1408. Lau-  
bys ed trās-  
latum.  
Alna est  
hodie cœ-  
nobium  
Ord. Cister-  
ciensis, ad  
Sabim fl.  
milliari  
uno à Lau-  
bys situm.



eremum concupiuit exstructaque in eodem Fanix saltu cellulâ, cum permisso pij Patria & licentia, vita vixit theorica, vbi postea multis virtutibus clarus migravit ad Dominum. Corpus autem eius translatum est ad monasterium Vuaslare, vbi nunc requiescit debita veneratione. Sanctus autem Vrsmarus, vt erat semper lucrandis animabus intentus, prædicandi gratia se Flandriæ intulit, versus Menapum fines, qui ritu gentis adhuc detinebantur vanis superstitionibus. Cuius doctrinâ ad fidem Christi conuersi, non minimæ partis prædiorum suorum illum faciebant heredem, & eam quæ est in Lobijs, Ecclesiam Christi. Beatus igitur Vrsmarus, virtutum omnium commercijs plenus officio sibi credito fideliter administrato, soluitur carnis ergastulo, & cælesti introfertur paradiso, vbi nunc & semper nostri petimus memor feliciter fruatur Deo. Obijt autem anno septingentesimo decimo tertio Dominicæ incarnationis, & nobis in perpetuum Domino Deo regnante, & Pipino agente in sceptris. Qui antequam decederet, fractus longâ molestiâ, se viuo sanctum Erminum successorem sibi substituerat. Ita Fulcuius Abbas Laubiensis in manuscripto Chronico Laubiensi qui obijt anno 990. Similia, itemque alia quædam de monasterio SS. Vrsuarii & Ermini scitu dignissima, Chronographus Cameracensis fideliter narrat: Transeundem est (inquit) ad Laubienſe cœnobium, quod sacris initijs sancti Landelini,

An. 713.

Lib. 2.



lini, ad tanti honoris, qui nunc est, paullatim peruenit titulum. Hunc nimirū Landelinum, in primæua quidē ætate à beato Autberto Pōtifice litteris & moribus sacris imbutū, postea verò fallēte diabolo, pij magistri profugum, spreto clericatu, manū prædatoriæ in libro vitæ ipsius legimus sociatum. Hunc, inquam, postquā magister benignissimus diuturna lamentatione & iugi prece ab errore reuocatū, quasi pater filium suscepisset, ac sauciū dulci correctione, & beneuola cōsolatione recreasset, in prælibato loco tunc tēporis solitario secedere monuit, vt disciplinatiū videlicet errata corrigeret, & emendatius viueret. Peracto itaq; habitationis ædificio, & in veneratione Apostolorū Petri & Paulli cōsecrato, paucis siquidem viris nitidæ vitæ secum receptis, monitiones & mandata magistri, æquā lance moris & operis adimpleuit, & de die in diē proficens, ad vitę sanctissimæ culmē transcendit. Vbi verò locus viri sancti pia cōuersione florere cœpisset, & ex munificentijs Regum, siue potentium quorumlibet, quantò rebus exterius, tantò etiam numero monachorum interiū abundaret: mox inde remotus, siquidem vt Deo strictiū manciparetur, secretiorem locum, quē paullò post dicemus, expetere existimauit. Secessurus autem eo loci præfecit beatum virum Dei Vrsmarum, pijs moribus præditum, in functoria tantum prædicatione sacratum Episcopum. Hic etiam vir de villa Fleon, quæ infra fil-

*Sonegias  
intelligit.  
De quibus  
vide supra  
Cap. 9.*



uam Terasciam sita est, oriundus, formam innocentis vitæ fratribus exhibuit, diesque suos in bonis operibus egit. Hoc igitur doctore, & dein beato Ermino succedente, de quorum monasterio subsequenter narrabimus, effloruit locus, & ad Dei gloriam ut usque in præsens apparet, mos plenè adoleuit Ecclesiasticus.

*Monasteriū  
S. Vrsuari  
& Ermini  
est hodie  
Canonicorum  
collegium Bin-  
chij residents.*

Horum itaque beatorum Dei Confessorum dormitionis habitaculum subiungamus. Erat namque Ecclesia parochialis, subiacens prælibato coenobio, quæ iuxta scilicet in vertice montis sita est, ubi ipsi monachi, sed & omnes collimitanei circum & circa degentes, tumultandi ferebantur. Ad hanc etiam beatissimi viri Vrsmarus atque Erminus, cum defuncti sunt, portantur humandi, quorum meritis declarandis, diuina pietas multa miracula dignata est operari. Sed quia suprâ de sancto Vrsuario parum tetigimus, non incongruum, si de sancto quoque Ermino aliquid explicemus. Hic nimirum vir vitæ laudabilis, & non parum prædiatus, de pago Laudunensi oriundus exstitit, & de die in diem in bonis operibus proficiens, omnium virtutum clarebat commercijs. Quem, quia odor bonæ opinionis illius longè lateque increbuit, beatus Vrsmarus supradictum monasterium regens, sæpius accersuit, diemque suæ vocationis imminere intelligens, ipsum rectorem monasterij, officijque sui post se supparem, & ministrum Pontificemque delegit.



legit. In functione igitur vicaria subrogatus, totum se in diuinis cultibus propensius mancipauit, suiue magisterij forma instructus, de creditis omnibus curam sollicitè gessit. Illud etiam prædium suum Ercli in vsibus fratrum expendit. Postquam verò ambo ad remunerationem vocati, primò quidem beatus Vrsmarus, dein vir Dei Erminus, in iam dicta parochiali Ecclesia tumulati fuissent, tot & tantis munificentijs locus ille donatur, vt modernis temporibus monasterio facto Canonici mitterentur. *Hactenus Chronographus Cameracensis.*

Porro monasterium SS. Vrsuarii & Ermini est hodie collegium Canoniorum, quod olim in basilica paræciali, Laubiensi monasterio in montis vertice ad sita, nunc Binchienfi in opido sedem habet. Exstat autem hodieq; vetus ista paræcialis basilica, monti imposita, in qua coràm aliquando sacras horum & aliorum Duorum tumulos venerati sumus. In eaq; etiamnum, aut in cæmeterio ad sito Abbates, monachi & incole omnes Laubienses terram mandantur: adeò vt hactenus mortalium nemo Laubiensi in monasterio sit conditus.

*Binchienfe  
Canonico-  
rum colle-  
gium.*

Ceterum bellis in agro Leodicensi seuientibus, anno Christi millesimo quadringentesimo octauo postridie Kal. Iulij, Canoniorum S. Vrsuarii collegium Laubijs Binchium, quod vicinum est Hannoniæ opidum, sese transtulit. Quo

*An. 1408.*



factum est, ut Guilielmus Bauarus, Hannoni<sup>us</sup> Comes, instanter peteret, ut sedem ibi fixam ac perpetuam vellent figere. Quod & fecerunt, Martino V. Papa consentiente & approbante. eodem ipso tempore ex Laubiensi Canoniorum basilica, sanctorum Vrsuari, Ermini, Theodulphi, Vulgisi, Amoluini, Abelis, Episcoporum & Abbatum Laubiensium, Hildulphi Ducis, & Amelbergæ viduæ corpora Binchium sunt translata, quæ diuersis octo feretris argenteis inclusa decenti cum veneratione nō semel coram spectauimus. De his manuscriptum Fulcuini Chronicon Laubiense, & Molani Natales Sanctorum Belgij consule.

## CRISPINIUM,

Inter Valentianas & Gislenopolim, Hannoniæ opida.

**B**Eatus Landelinus ex prædione ad Christum à S. Autberto Cameracensi Episcopo conuersus cum Laubiense cœnobium à se constructum, beato Vrsuaro regendum commisisset, ut paullo ante diximus, ad locum siluis horridum, quem Crispinium nuncupant, sese subduxit, ibique alterum extruxit monasterium. De quo sic breuiter Chronographus Cameracensis: In vico Crispino est monasterium Canoniorum, vbi sanctus vir Dei Landelinus, pro frequentia fratrum, relicto Laubiensi cœnobio, commendato viro Dei Vrsuaro regimine, suisque ritè ordinatis rebus, secessit, vitæque

S. Landelinus  
quiescit  
Crispinij.

niti-



nitidioris perfectione exactâ migravit ad Christum, atque in pace sepultus multis virtutibus coruscavit.

*Ex quibus verbis patet olim Canonorum regulariter viuentium hoc in loco fuisse conuentum.*

**D**E Crispinij origine ac nomine Philippus ab Eleemosyna, Abbas cœnobij Bonæ Spei, \* *in historia vitæ S. Landelini, ista scitu in primis digna commemorat:*

\* *Extat in S. Crispinij, & in nostra bibliotheca.*

Landelinus comitibus Adeleno & Domitiano supra fluuium Hon veniens, illic voluit residere, vbi silua, quæ Amblifis dicta est, eidem fluuiio videtur adiacere. Quem locum ei commendabilem non fertilis camporum planities, non vinearum florida fecit pulchritudo, sed siluarum profunda opacitas, & horrori dedita solitudo.

*Et infra:* Verum ad vsus fratrum etsi gaudius est aquam fluuij non deesse, tamen loco illi nouit & doluit fontem viuendum non adesse: sciens quia etsi aqua fluminis necessitati succurrere non negatur, tamen

Gratius ex ipso fonte bibuntur aquæ, sicut ab Ethnicis prædicatur. Currens igitur ad solitum orationis præsidium, & humili fiducia præmunitus, intellecto quod à Deo esset adfectus eius deuotionis exauditus, solo iētubaculi terræ superficiem interrupit, & redignâ miraculo, viuus subito fonserupit. Cuius aquas perspicuas vir sanctus considerans ab imo abundantius ebullire, crispantem superficiem vndis tremulis sca-



turire, ipsum lapsum riuuli grato susurro murmurare, tantâ sui gratia ad mirandum quoslibet inuitare, alludens speciei, quam crispam & tremulam hilaris adnotauit, ipsum in quo resederat locum, statim Crispinium nominauit.

*Crispinium  
à fonte Cris-  
panti aqua  
dictum.*

*De sanctis Adeleno & Domitiano, qui cum B. Landelino magistro suo Crispini quiescunt, Mo-  
lanus in Nat alibus Sanctorum Belgij.*

## STABVLETVM

*Vulgò Stanelo, & MALMVNDARIVM,  
vulgò Mamedy, in Arduenna.*

*An. 651.*

**A**Nno sexcentesimo quinquagesimo primo Rex Sigebertus de posteritate pro-  
lis desperans, duodecim monasteria hinc in-  
de construxit Deo. In quibus Stabulaus &  
Malmundarium eminebant, cooperante sibi  
in his Maiore domus Grimoaldo, & Traie-  
ctensium Episcopo Remaclo. Qui Remaculus  
non multò post pertæsus secularium tumultu-  
um, in ipso Stabulaus monachicæ vitæ ad-  
sumsit habitum. Ita Sigebertus monachus Gem-  
blacensis in Chronico.

*Tom. 7.*

*Fuit autem Sigebertus iste Rex Gallia &  
Austrasia, cuius vitæ historia exstat apud Su-  
rium.*

*Porro tam Grimoaldo Maiori domus regia  
)quem nostrates Historiographi secundum Bra-  
bantie*



bantia Ducem nominant) quàm Sigeberto Regi attribuendam huius cœnobij foundationem, testis est ipse Rex Sigebertus, in diplomate, anno regni decimo quarto à se dato, quod recitat Notgerus Leodicensis Episcopus, S. Remacli res gestas describens: Sancta ac venerabilia monasteria, Stabulaus, siue Malmundarium cognominata, ubi vir venerabilis Remaclus Episcopus & Abbas, Christo auspice præesse videtur, quæ vir illustris Grimoaldus Maior domus, in honore sancti Petri ac sancti Paulli vel sancti Martini, seu ceterorum Sanctorum suo opere in vasta eremo Ardennensi construxit, quemadmodum nos loca ipsa, ad ipsa monasteria ædificanda pro nostra præceptione, ex foreste nostra concessimus; quæ licet gratia Christi sint ditata, mundanam tamen substantiam cernuntur parumper habere. Ideo diuina inspiratione commoniti, decreuimus aliquantulum de fisco nostro ad ipsa monasteria respicere & consolari: & cetera, quæ in eodem scripto (auctor vocat præceptum) sequuntur.

Apud Surium To. 5.

Porro Stabulense hoc cœnobium ad Ambleuam fluuiolum in profunda valle situm, distat tertio ferè milliari à Spadanis fontibus acidis, tota pœnè Europa nominatissimis. Abbas verò Stabulensis inter Romani Imperij procures recensetur. Fuit hæc dignitas multo tempore in familia Comitum à Manderscheit: ex qua prognatus Guilielmus Abbas Stabulensis & Prumi-



ensis ( quod vetus atque opulentum itidem Benedictinorum in eadem Arduenna versus Treueros est cœnobium, Reginonis eius loci Abbatis & Chronographi nomine illustre ) arcem insignem ad ipsum montem è regione cœnobij huius construxit, vt habet eius epitaphium, quod in templi medio legitur. Obijt is anno millesimo quingentesimo quadragesimo sexto. In hac arce Acta publica, codices manuscripti, & sacra suppellex pretiosior adseruatur. In eadem moneta officina visitur ( eius enim cudendæ ius habent ) & ipsi ibidem Abbates olim, vt plurimum, commorari solent. Hodie Serenissimus Erneltus Bavarus, Elector & Archiepiscopus Colonienfis, itemq; Leodicensis Episcopus, cœnobij huius præfecturam, titulo Administratoris, obtinet.

Tom. 3:  
Iunij 15.

Quot monasteria  
à S. Landelino  
sunt fundata.

Porro etsi in quibusdam manuscriptis Chronici Sigebertini exemplaribus, & in Actis S. Landelini à Surio editis, ( ab incerto tamen auctore conscriptis ) quatuor monasteriorum, Laubienfis videlicet, Aluenfis, Vuaslariensis & Crispiniensis fundatio B. Landelino attribuitur; Fulcuinus tamen Abbas Laubien. cui hac in parte credendum existimamus, in MS. Chronico suo Laubienfi, disertè adfirmat non nisi Lobienfem & Crispiniensem monasteria ab ipso esse fundata; Aluensem autem & Vuaslariensem à S. Vrsmaro esse instituta.

CAP.



## CAPVT. XXVIII.

*Complutum monasterium, vulgò de Compludo,  
in Hispania.*

Scitum est hoc monasterium in montibus de Rabonal circa Molina Secam in loco quem *Complutum* vocant: estque fundatum à S. Fructuoso Abbate S. Petri de monte, postea Archiepiscopo Bracarensi, in honorè SS. Iusti & Pastoris: approbantibus *Ciudafuindo* Rege & *Reciberga* Regina. Quorum quidem diplomata exstant in Ecclesia Asturicensi in libro priuilegiorum. Interfuit autem S. Fructuosus tamquam Archiepiscopus Bracarensis Concilio X. Toletano quod celebratum est Era 694, id est an. Christi 656. Idè S. Fructuosus ex hoc monasterio assumptus est, primò ad Episcopatum Dumiesem & postea ad Archiepiscopatum, vt dixi, Bracarensem: cuius sacrum corpus quiescit in Ecclesia metropolitana Compostellana S. Iacobi in Galizia, magna cum veneratione.

656.

Est in Hispania quoq; illustre monasterium Benedictinorum in *Monte Serrato*, Deiparæ cultu, ac miraculis celeberrimo. Distat septimo lapide à Barcinone, metropoli Catalauniæ, estq; fundatum per *Godefridum Pilosum*, primum Comitem Barcinonensem (qui floruit anno 890.) pro monialibus primùm benedictinis. Quæ cum in urbē Barcinonensem migrare essent iussæ, monasterio S. Petri ipsis tradito, monachi mox sunt substituti.

890.

CAP.



CAPVT XXIX.  
S. TRVDONIS

*Cœnobium Sarchiniense, in opido Trudonopolitano, diœcesis & ditionis Leodicensis.*

An. 606.

An. 657.

S. Trudo  
obiit an.  
693.

**B** Trudo nobilissimis parentibus Vuilboldo & Adela, in Sarchinio apud Hasbanientes natus, post à Clodulfo Metensi Episcopo institutus, Metisque in Hasbaniam reuersus, voto, quod puer vouerat, satisfactus, in Sarchinio, ad fluuium Cifindriam in sua hereditate, cœnobium proprijs expensis fundauit: quod cum ad inhabitandum decenter aptatum, in altum perduxisset, dedicari fecit à sancto Theodardo Traiectensi Episcopo, in honore SS. Quintini & Remigij, anno Domini sexcentesimo quinquagesimo septimo. II. Idus Octobris. *Hæc ex MS. Chronico Trudonensi desumimus.*

*Quiescunt autem hoc in cœnobio S. Trudo fundator, S. Eucherius Episcopus Aurelianensis, à Carolo Martello sede sua pulsus, & S. Liber- tus martyr; de quibus consule Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij, & Surium.*

## S. HVBERTI

*Cœnobium Andaginense, in Arduenna.*

**C**œnobij istius condendi auctor fuit S. Ber- regisus, qui in Sarchiniensi cœnobio. à S.

Trudo-



Trudone recens exstructo, regularibus discipli-  
nis informatus, locum hunc à Pipino Maiore do-  
mus regia impetrauit. De quo Chronographus  
Trudonensis: Beregisus, inquit ex pago Con-  
drofio ortus, & à parentibus intra monaste-  
rium S. Trudonis, sub habitu religionis, lit-  
terarum studijs & lege diuina imbuendus  
traditus, largiente Pipino Principe eidem la-  
ta prædia, monasterium Andainense in ho-  
nore S. Petri construxit, in quo clericis ordi-  
ne Canonico militantibus, ipse pater in eo-  
dem habitu est sociatus, quod modò S. Hu-  
berti in Arduëna nuncupatur, vbi Vuafo Leo-  
diensis Episcopus, delato eodem \* à Traiecto  
corpore dicti S. Huberti, pro Canonicis re-  
gularibus monachos instituit.

Ex quibus Trudonensis Chronographi verbis  
illud effici videtur, cum apud Sarchinienses, seu  
Trudonenses, tum apud Andaginenses exprima-  
ua institutione fuisse non monachos, sed clericos,  
seu Canonicos, vt vocant, regulares. Quod ante  
nos & Ioannes Molanus, vir antiquitatum Ec-  
clesiasticarum, præsertim nostratum, peritissi-  
mus, obseruauit.

Hoc porro cænobium S. Huberti nomine  
vulgò innotescit, cuius sacrum corpus ibidem  
piè adseruatur; quod Vuafo seu Vualcandus  
Leodicensis Episcopus, eodem Leodico, anno  
Christi octingentesimo vicesimo quarto, trans-  
tulit.

\* Alij, à  
Leodico.

In Natal.  
SS. Belgij  
2. Octob.

Sigeb. in  
Chron.  
an. 824.



## HASNONIVM,

*Vulgò Hasnon, ad scarpum fl. tertio lapide à  
Valentianis Hannonia vrbe.*

*An. 670.*

**C**Oenobium Hasnoniense Ioannes vir  
nobilissimus, illius tractus toparcha seu  
Dominus, & soror eius Eulalia, anno Christi  
sexcentesimo septuagesimo, construxerunt,  
& sanctus Vinditianus Cameracensis & A-  
trebatensis Episcopus II. Kal. Maij, Deo &  
sancto Petro Apostolo dedicauit. Fuit autem  
à prima institutione coenobium sexus vtri-  
usque: Ita Iacobus Guisianus in manuscriptis  
Hannonia Chronicis. De fundatoribus huius cœ-  
nobij exstant versus isti perantiqui.

*Si cupis Hasnonij structores noscere templi,  
Hec metra pertracta, sic succedent tua vota.  
Inclyta progenies Eulalia, sicque Ioannes,  
Frater hic, illa soror, germani mente fideli,  
Huius præsents statuunt fundamina templi,  
Tunc humanati Verbi dum voluitur annus,  
Qui sexcentenus quoq; septuagenus habetur.  
Cunctis expletis aduenit Vinditianus,  
Antistes Cameracensis, templumq; dicauit,  
Altithrono Domino, cuius nos lustrat imago,  
Celi clauigero, Doctori gentis amœno.  
Desine mirari hic sexum duplicem famulari.  
Namq; Ioannis & Eulaliæ præclara propago,  
Cœnobium rexit, cetum super æthera vexit.*

*Hic*



*Hic locus enituit rigidi seruator honesti,  
 Vsq̃ue dies Carli durans cognomine Calui  
 Induperatoris, Regis quoq̃ Francigenarum.  
 Ipsius & coniux Ermentrudis vocitata,  
 Mundum despexit, regni fastumq̃ reliquit,  
 Huic domui sese tradens, sit Martha Maria,  
 Otia sectando pia, diuiniq̃ vacando.  
 Semine Casareo produxerat equiuocatam  
 Formosam natam, meritis tamē vniuocatam,  
 Quam secum nutrijt consortem religionis.  
 Sic spreto mundo tegitur velamine nigro,  
 Moribus ornat a fuit Abbatissa creata,  
 Ast eius genitor post Carolus Induperator,  
 Cœnobij, matris prece, dotes amplificauit.*

*De monasterio isto sic breuiter Chronographus  
 Cameracensis, qui anno salutis 1030. floruit: In  
 vico, quem dicunt Hasnum, Abbatia fuerat  
 regalis olim atque ditissima, vbi ex maxima  
 parte requiescunt corpora SS. Marcellini &  
 Petri. Nunc autem degeneris seculi mori-  
 bus vitiatis, vti nunc clerici pauci deseruiunt,  
 desolatam & inopem condolemus. Fuit au-  
 tem cœnobium istud, vt & cetera Belgica, à Nor-  
 mannis vastatum; quod quidem monachis Bene-  
 dictinis quando sit traditum, Meyerus in Annali-  
 bus Flandriæ commemorat:*

*Anno Christi millesimo septuagesimo col-  
 legium Canonorum, apud Hasnonium in  
 Ostrouandia, conuertit Balduinus Flan-  
 driæ Comes in benedictinum monasterium.*

Vetus



Vetus reparauit templum, idque ab Episcopis Lietberto Cameracensi, Ratbodone Nouiomenſi, Rainero Aurelianenſi curauit dedicatum III. Nonas Iunias. Ea in dedicatione interfuiſſe reperio corpora Sanctorum Marcelli, Piatonis, Saluij, Amati, Donatiani, Vedasti, Amandi, Audomari, Gisleni, Vincentij, Bertini, Vuinoci, Vuandregiſili, Bauonis, Euerardi, Euberti, Landelini, Hugonis, Aichadri, Eusebiæ, Rictrudis, Aldegundis, Ragenfredis, Reginæ, & Vualdetrudis.

*Hæc ipsa paullo aliter & fusiùs in Chronico suo Bertinenſi narrat Iperius: Balduino Insulano Flandriæ Comiti successit filius eius Balduinus, à puero nutritus in aula Imperatoris Henrici. Hic in adolescentiæ suæ tempore decidit in tantam infirmitatem, ut ei pater in manu candelam teneret, extremum spiritum exspectans. Et ecce subito resumptis viribus, patri suo dixit: Pater ab hac infirmitate euadam, si mihi dare volueris locum de Hanon, ut ibi monasterium ædificare possim. Hæc vera erunt, quia statim hoc mihi sancti Marcellinus & Petrus promiserunt. Pater annuit, & filius sanus effectus est. Subuerso igitur Hanon castro, raptorum latibulo, ædificauit ibidem monasterium Hanonenſe in honore SS. Apostolorum Petri & Pauli, & SS. Martyrum Marcellini & Petri & propter hoc vocatus est Balduinus Hanonenſis. Dicitus est etiam Balduinus Pius, quia totus erat deditus operibus pietatis, viduarum, orphanorum.*



phanorum, Ecclesiarum, pauperum, & oppressorum amator & defensor præcipuus. Hic adhuc viuentem patre duxit uxorem Richildem viduam Hermannii Comitis Montensis, ex qua duos habuit filios, Arnoldum & Balduinum. Regnavit autem solus tribus annis, & obiit anno Domini millesimo septuagesimo, & sepultus fuit in Hanon, quod ipse fundauerat, monasterio. *Hactenus Iperius.*

An. 1070.

## CAPVT XXX.

*Monasterium S. Romani de Hornisgā, hodie S. Romani de Ornixā in diœcesi Toletana.*

**F**undauit hoc monasterium ac dotauit Cindasuindus Rex & vxor eius Reciberga, Era 684. in honorem S. Romani monachi circa opidum de Toro. Agit de hoc monasterio S. Ildefonsus, & S. Isidorus in chronico his verbis. Cindasuinthus regnavit annos mitis, gloriosus vel insignis, orthodoxus, & verè pius, hic à Deo habuit regnum anno V. Imperij sui Toletano Era de LXXXIII. Memoratus itaque Rex Gothorum regnavit annos VI. menses IX. dies XI. Extra Toletum pace obiit, in monasterioq; S. Romani de Hornisga secus fluvium Dorij quod ipse à fundamento edificauit, intus Ecclesiam ipsam in cornuto per quatuor partes, monumento magno sepultus fuit. Est hodie Prioratus annexus monasterio Regio Vallisole.

684.

K

tano



tano S. Benedicti. In sacello quodam veteris huius templi exstat marmor cum hac inscriptione. *Hic sunt reliquiae S. Romani monachi, S. Martini Episcopi, S. Martine virginis, S. Petri Apostoli, S. Ioannis Baptiste, S. Aciscii, & aliorum numero Sanctorum.*

Ceterum Patronus huius monasterij non est S. Romanus martyr Antiochenus an. Christi 313. passus, sed S. Romanus monachus ut ex dicta inscriptione liquet. Quis autem fuerit iste Sanctus Monachus in cuius honorem Rex Ciudasuinthus, dictum monasterium fundauerit certò non constat. Ecclesia certè celebrat ac colit S. Romanum monachum, quo ad vitæ necessitatem ministro vsus est S. Benedictus ut Romanum Breuiarium loquitur 21. Martij. Cuius quidem corpus quiescit Altisiodori in Gallia. Fuit & alius S. Romanus Abbas apud Lugdunum Galliae, qui cum S. Lupicino vixit in deserto & floruit anno Christi 564. eiusque festum celebratur 28. Februarij.

*Monasterium S. Petri de Monte in Hispania.*

684. **S**itum est hoc monasterium in Vergisco Hispaniae prouincia vulgo *El Vierzo* nuncupata, estque excitatum à S. Fructuoso, principis illius prouinciae filio, & Archiepiscopo Bracarenfi Era 684. Post S. Fructuosum successit S. Valerius qui illud  
circa



circa Eram 700. mirificè auxit: quod & postea fecit S. Gennadius, Episcopus Asturicensis collapsum instaurauit ac consecrauit iuxta veterem hanc inscriptionem.

*Insigne meritis B. Fructuosus postquam Complutense condidit cœnobium, nomine S. Petri, breui opere, in hoc loco fecit oratorium, postquam non impar meritis Valerius sanctus opere Ecclesiæ dilatauit. Nouissimè Gennadius presbyter cum duodecim fratribus restaurauit. Era D. CCCCXXXIII. Pontifex effectus, à fundamentis mirifice, ut cernitur, denuo erexit: non oppressione vulgi, sed largitate pretij, & sudore fratrum huius monasterij. Consecratum est hoc templum ab Episcopis quatuor, Gennadio, Astoricense, Sabarico Dumienſe, Feruniuio Leyconense, H. Dulcidio Salmanticense, sub Era nouies centena decies quina terna, & quaterna VIIII. Kalend. Nouemb.*

Ceterum vita S. Fructuosi, itemque S. Valerij Abbatis monasterij S. Petri de Monte, ut & testamentum S. Gennadij exstant apud Prudentium Sandouallum prima parte de Foundationibus monasteriorum Benedictinorum in Hispania. Ipsum originale testamentum exstat in Archiuo monasterij S. Petri de monte, quod anno 1575. à se visum cum alijs plurimis libris manuscriptis, testatur Ambrosius Morales, Philippi



II. Hispaniarum Regis Chronographus. Quiescit autem S. Gennadius in monasterio S. Iacobi de Pennalba à se fundato, quod vulgò S. *Genacio* nuncupant: estque hodie Ecclesia parochialis, cuius possessor Abbas vocatur & dignitatem in Ecclesia cathedrali Asturicensi obtinet. Ad tumulum S. Gennadij hodieque frequentissimus est piorum hominum concursus. Quiescit ibidem S. *Fortis*, S. Gennadij discipulus & Episcopus Asturicensis, itemque S. *Vrbani* illius monasterij Abbas.

*Testamentum S. Gennadij Episcopi Asturicensis.*

**S**ANCTISSIMIS, gloriosissimis Dominis triumphatoribus, post Deum mihi fortissimis patronis, cælorum clauiculario in arce Apostolatus constituto electissimo Petro, æquali vocatione Andreæ almifico, Iberiæ terminos Iacobo clarissimo, atque hero Thomæ asseclis Christi & eius Martyribus à constitutione mundi Deo notis Apostolis.

Clientis servus vester Gennadius, pauper meritis, abundans sceleribus, indignus Episcopi, certissime credo, firmissime teneo, & indubitanter scio, quod vos, ô pijsimi & strenui patroni ad vnam Domini vocantis vocem, statim omnia quæ mundi sunt, mundo reliquistis, indefessè adhærentes vestigijs Salvatoris, ut neque puncto quidem secederis ab illo, etiam neque ad funus patris, se-

ptima



prima diuinæ sapientiæ haurientes prædicatores egregij effecti, vniuersum mundum lumine veritatis illustratis: & quod ore docuistis, & per effusionem sacratissimi cruoris vestri roborastis. Quid igitur ego miserrimus agam? quod inmeritis in hac vocatione aditus, neque opere, neque prædicatione sum idoneus? illam comminantis Prophetæ, imò Domini vocem expauesco, dicentis: Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu verò odisti disciplinam: nam Vas electionis, præceptor Gentium mirificus, qui supra cælorum visibilia raptus sidera, verbo Domini pastus ac refectus, metuens nostri detrimentum, de seipso dicebat: Ne furtè alijs prædicans ipse reprobus efficiar, conscientia meæ testimonio perterritus, & placulorum pondere grauatus, patrocinium vestrum exopto humillimus, vmbraculum culminis vestri exopto obnixus, defendi ac tueri interuentu vestro fide intrepidus, nihil hæsitans, nihil dubitans, vt quidquid petieritis à patre cælesti, fiet vobis, & ideo dū pastor pastorum apparuerit, dum in gloria maiestatis aduenerit, dum in conspectu eius ignis præcellerit, cū in throno claritatis simul & formidinis ad iudicium sederit, & vos & omnes Sancti cum eo sessuri supra thrones iudicantes, quæso, vt ad optimum regem pro me interpellatis, vt superemineat misericordia iudicium & transferar à sinistrorum,



& horum gregibus sum dexter agnus velle-  
re indutus, & qui sessionis non mereor ca-  
thedram, astare conspectibus diuinitatis abs-  
que pauore meritis vestris valeam. Cumque  
adhuc sub patre Apostoli, & ab batemeo  
Arandiselo, in Ageo monasterio degerem,  
vitam eremitarum delectatus cum duodenis  
fratribus & benedictione, scilicet ad san-  
ctum Petrum, ad sanctam eremum perrexii,  
qui locus positus à beato Fructuoso, & insti-  
tutus postquam sanctus Valerius eum obti-  
nuit; quantæ autem vitæ sanctitatis fuerint,  
& quanta virtutum gratia, & miraculorum  
emolumenta enituerint, Historiæ & vitari-  
um eorum scripsea declarant: nam supra  
factum loculum in vetustatem reductum, pe-  
ne obliuioni deditum, vepribus seu densis-  
simis siluis opertum, & qui magnis arbori-  
bus ex immensitate annorum adumbratum  
auxiliante Domino, cum fratribus restaura-  
ui, ædificia instruxi, viridas & pomares plan-  
taui terras de Ocalido eieci, horta & omnia  
quæ ad vsum monasterij pertinent imposui.  
Sed æmulus virtutum, vitam nostram inui-  
dens, quasi pro ædificatione multorum men-  
tes plurimorum excitans, ad pontificatum  
Astoricæ, ad suburbia attractus sum, in  
qua multis annis inuolens & magis in prin-  
cipium perdurans quam spontanea mente,  
sed neque plenè corporis ibidem commora-  
ui. Omnem sollicitudinem, omnemque in-  
dustriam erga supradictam eremum exer-  
cens,



cens, Ecclesiam S. Petri, quam dudum restau-  
raueram, miris ædificaminibus reuoluens  
ampliaui, & in melius, vt potui, erexi, deinde  
autem in montibus illis aulam nomine S.  
Andræ construxi; aliudque monasterium  
ad ordinem monasticum, inter vallum  
distendens in memoriam sancti Iacobi;  
tertium construxi, quod vocatur Pennalba;  
inter vtrumque vero locum est qui dicitur ad  
Silentium; in honorem S. Thomæ quartum  
oratorium fabricaui, & vnaquæq; Ecclesiam,  
donaria, munuscula, vel libros unicuique  
nunc offero segregatim, & in nunc habeant  
per hoc testamentum disponere opto, & Præ-  
sulum, seu Principum præceptione adfirma-  
re decerno, atque sæculis infinis diu valitu-  
ra persistere & permanere iubeo. In primis  
monasterium S. Petri, omnia quæ in circuitu  
eius sunt, pomares, & terras, cunctaque per  
terminos suos.

Item in Oza, villa quæ dicitur S. Maria  
de Valle, de Scalius cum tota sua heredi-  
tate, seu etiam alia Ecclesia Sanctorum  
Iusti & Pastoris, terras, vineas, pomares,  
horta, molina, ex integro validitatibus præ-  
stitis, & adiacentes per terminos suos ab in-  
tegritate sint propria monasterij sancti Pe-  
tri, & nihil communionis ibidem habeant.  
Sed perceteræ Ecclesiæ, quæ in supradicta  
eremo constructæ sunt, nisi fortè vnanimi-  
tatis gratia aliquid pro misericordia con-  
cessum fuerit. In thesauro denique memoratæ



Ecclesiæ sancti Petri offero calicem cum patena, insuper Euangeliorum, & coronas argenteas, signum crucero, & lucernam ex ære, libros Ecclesiasticos, id est, psalterium Comicum, Antiphonarium, manuale orationum, ordinum, passionum & horarum; Ecclesiæ verò S. Andreæ omnes terras quas cumque habet per terminos suos, & pomares, vel quidquid ab hodierna die ibidem fratres augmentare valuerint; similiter libros Ecclesiasticos, id est, Psalterium, Antiphonarium orationum, comicum, manuale, ordinum, passionum, vasa autem altaris, calicem argenteum cum patena & coronam, signum, crucem, & lucernam æream: eidem monasterio Ecclesiæ S. Iacobi terras, pomares, quas per circuitum eius & terminos habet; libros, psalterium comicum, antiphonarium, orationum manuale, ordinum, passionum, in thesauro Ecclesiæ, calicem, coronam, & super euangelium argenteum, lucernam, & signum æreum. Item Ecclesiæ S. Thomæ terras, & pomares, per terminos suos libros, psalterium, in thesauro Ecclesiæ calicem, coronam, lucernam & signum æreum; hæc omnia supra comprehensa vnaquæque locum sigillatim & separatim proprium vindicent suum, neque vnum cum altero communionem habent, sed vnaquæque Ecclesia sibi vindicet quod segregatim offero. Restat autem, quia non in solo pane viuit homo, sed omni verbo quod procedit de ore Dei, ut ceteros libros

tam



tam diuinos, id est, bibliothecam totam, moralia Iob, Pentateuchum cum historia Ruth liber vnus, siue etiam & specialiter Docorū, id est, vitas patrum, item moralium, Ezechielum, item Ezechielum, Prosperum, genera officiorum; etymologiarum cathalanis, libros Trinitatis, liber Apringi, epistolæ Hieronymi. Item etymologiarum, glossatum, liber comitis, liber regularum virorum illustrium; hos omnes libros iubeo vt omnibus fratribus in istis locis communes sint, nec quisquam eorum pro dominatione sibi vindicet, sed, sicut dixi, per partes & in commune possidentes videant legem Dei, & ad superscriptas Ecclesias percurrant, verbi gratia, vt quantoscumque fuerint & eis in S. Petro, alios tantos in S. Andrea, & alios tantos similiter in S. Iacobo, & multo eo disponentes istos quos quo legerint, in vno monasterio commutent eos cum alio ita per singula loca discurrentes, vt tutos eos communiter habeant, & totos per ordinem legant, ea dumtaxat ratione seruata, vt nulli liceat ex his in eo loco transferre, donare, vendere, aut commutare, sed tantum in his locis permaneant, & in hac eremo fundata sint, seu etiam si adhuc alia oratoria infra istis montibus constructa fuerint, habeant participationem in his specialibus libris: si quis autem frater aut Abbas de his locis egressus aliud monasterium in alio loco ædificare voluerint, non habeat licentiam asportare, neque eicere



ex omnibus quæ in hoc testamento resonant,  
neque transferre de proprio loco ubi nunc il-  
lud confero, sed tantum in his locis quæ fue-  
runt de termino S. Petri, usque ad Pennalbam  
semper ea ibi consistere decerno, instituo, &  
iubeo. Si quis præruptor Princeps vel Iudex,  
Pontifex, Abbas, Presbyter, Monachus, Cleri-  
cus seu laicus, hoc votum meum infringere,  
aut immutare voluerit, aut secus quam hæc  
scriptura continet agere disposuerit, in pri-  
mis orbus hac careat luce, vlcere pessimo  
diuinitus vlus à planta pedis usque ad ver-  
ticem capitis riuos vulnorum percurrentes  
madefactus, scaturiens vermibus, terror &  
horror fiat omnibus visibus, & in futuro cum  
impijs & sceleratis obrutus, tradatur flammis  
vltricibus; insuper secularia damna multa-  
tus, coactus à iudice conferat ipsi Ecclesiæ  
quantum auferre conauerat per vndecuplum;  
& hoc testamentum firmissimum vigorem re-  
tineat in perpetuum. Factum & confirmatum  
testamentum Era 953. Sub Christi gratia Gen-  
nadius Episcopus hoc testamentum quod fie-  
ri volui, manu mea roborauit, Ordonius Sere-  
nissimus princeps confir. Celoiria Regina  
confir. Ermigius Dei gratia Episcopus, Dida-  
cus Dei gratia Episcopus confir. Segere-  
dus confir. Dulcidius confir. Sarra-  
cinus, qui notarius.

{:o:}



CAP.



## CAPVT XXXI.

## BLANGIACVM,

*Tertio lapide ab Hefdino Artesia opido.*

**S** Berta nobilissimo genere nata cum Sigfrido illustri viro nupsisset, ex eo genuit filias quinque, Gertrudem, Deothilam, Emmam, Gesam, & Gestam. Defuncto postmodum marito, & Blangiaci in villa sua honorifice sepulto, B. Berta totam spem suam Deo committens, ad omnipotentis Dei seruitium se contulit, pretiosissimos apparatus deposuit, ac sacro se sanctimonialis habitus velamine velare non destitit. Igitur diuinitus admonita, sagaci animo cogitare coepit, qualiter in sua possessione potuisset construere Ecclesiam in honore Domini nostri Iesu Christi, eiusque genitricis beatissimæ semperque virginis Mariæ.

Anno itaque incarnationis Domini nostri Iesu Christi sexcentesimo octogesimo secundo, in Blangiaco pijsima Berta monasterium ædificare coepit, in pago Taruanorum, in propria possessione, quod Domino tribuente cum summo honore finetenus deductum est. *Et infra,*

Beatissima Berta augebatur in operibus bonis. Nam coepit ædificare claustra monasterij decentissima. Construxit nempe vnam, ex-

tra



tra portam, Ecclesiam sancti Audomari confessoris, ubi sacerdotes vel clerici ipsius cœnobij diuinum persoluerent officium. aliam etiam ædificauit in honore S. Vedasti, tertiam verò in honore beati Martini confessoris atque Pontificis construxit. Alias itidem septem ædificauit in prædijs suis, quas omnes dedicare petijt in honore sancti Martini. *Hæc ex historia vitæ sanctæ Bertæ, quæ Blangiaci & apud nos exstat manuscripta, hausimus.*

Porro Sigefridus, beata Bertæ maritus, Comes fuit Pontiuenfis (quem Picardie tractum vulgò Ponthieu nuncupant,) & frater Adalbaldi Ducis, mariti sanctæ Rictrudis Marchianensis, Iperio teste in Chronico suo Bertinensi: Adalbaldi, inquit, Ducis fratres fuerunt Sigefridus Comes Pontiuenfis, maritus sanctæ Bertæ Blangiacensis, & Erchenaldus Maior domus Clodonei, filij Dagoberti. Erchenaldus Adalbaldo defuncto, in eius terra reædificauit Duacum castrum, & in eo construxit Ecclesiam beatæ Dei genitricis, quæ Ecclesia nunc dicitur beati Amati confessoris. Idem quoque Erchenaldus, consilio beati Fursei, cui valdè familiaris fuit, suis proprijs sumptibus construxit monasterium sancti Petri in Latiniaco; itemque in Perona, allodio suo proprio, monasterium sancti Fursei, in quo ipse sanctum Furseum sepeliuit, & ipsemet Erchenaldus nunc sepultus requiescit. *Hactenus Iperius.*

*Fuit itaque Blangiacense cœnobiũ principio sa-*

*pio sa-*



*pio sacrarum Virginum domicilium: quod quidem à Normannis vastatum monachi Benedicti Balduino Barbato comite Flandris imperante, sumtibus Hersendis pia ac diuitis matrona instaurarunt.*

Monasterium S. IOANNIS IN MONTE,  
apud Taruanam Morinorum urbem, olim  
situm, nunc in vrbe Iprensi, in  
Comitatu Flandriae.

**T**heodericus Galliae Rex in expiationem coedis S. Leodegarij Episcopi Augustodunensis, anno Christi sexcentesimo octogesimo sexto, in monte, haud longè à muris urbis Morinensis seu Taruanensis sito, coenobium istud in honorem S. Ioannis Baptistae construxit. Destructum verò est à milite Caroli V. Imperatoris obsidionem parante, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, uti & vrbs ipsa post deditiōem funditus est excisa. Monachi autem postea in Flandriam venere, eiusque Balliolanam Sancti Antonij, ut vocant, Praetoriam, seu monasterium, Philippus II. Hispaniarum Rex, & Belgarum Princeps, Pontifice Romano consentiente, assignavit. At verò ob hostiles Ostendano-

An. 686.

An. 1553.

An. 1590.

lesimo



lesimo quingentesimo nonagesimo, sese receperunt, ibique fixum ac perpetuum illis domicilium Albertus & Isabella Austriaci Belgarum Principes, annuerunt. Sicque Beati Ioannis Taruanensis Abbatia, quæ olim Artesiæ fuit, in posterum inter Flandriæ Abbantias numerari poterit. *Hæc ab Huberto Dubraio, ciue & amico nostro, eiusdem cœnobij olim alumnus, post Affligemensi Præposito, nuper defuncto, accepimus.*

### S. VVINOCI

*Cœnobium, intra muros Vuinocibergensis opidi, in Flandria.*

*S. Vvinocus  
hoc in cœ-  
nobio qui-  
escit.*

**R**egnauit Clodoueus Rex annis duobus, cui successit Hildebertus frater eius. Hoc tempore Heremarus vir nobilis, villam suam VVormhoult dictam in Flandria, supra fluuium Pena, beato tradidit Bertino. Sanctus verò Bertinus considerans viros Dei Vvinocum & tres fratres eius in Dei seruitio plus ceteris profecisse, eos illò misit monasteriolum construere, conuentum congregare, Christi que pauperibus hospitia præparare. Quibus Heremarus iam dictus villam suam VVormhoult, cum appenditijs eius, priuilegij sui assertionem firmavit: quod sic incipit: Omnibus præsentibus & futuris, qui Christianâ censentur &c. Actum in Sithiu monasterio, Kalendis Nouembris, anno primo Hildeberti Regis. Illi conuenticulo beatus pa-

tus pa-



tus pater Bertinus sanctum concessit præesse  
 Vuinocum, vbi multis miraculis concomi-  
 tantibus, Domino finetenus inseruiuit. Sic  
 Iperius in Chronico MS. Bertinensi, qui de S Vui-  
 noco, eiusq; tribus fratribus, hac itidem comme-  
 morat: Circa annum Christi sexcentesium se-  
 xagesimum primum, beatus Christi confessor  
 Vuinocus, Iudicail Britonum Regis filius, &  
 S. Iudoci frater spreto mundo, sceptrumque  
 regale virgâ regularis disciplinæ commu-  
 tans, sub beato patre Bertino in Sirthiu mo-  
 nasterio, monachus efficitur, cum tribus fra-  
 tribus suis Kadanoco scilicet, Ingenoco, &  
 Modoco. Præerat tunc beatus pater Bertinus  
 turbæ monachorum CL. inter quos VVino-  
 cus, quasi stella matutina præ cæteris clare-  
 scebat.

An. 661.

Obijt autem S. VVinocus anno Christi septin-  
 gentesimo decimo septimo, hoc ipso in cænobio  
 Vuormholtensi conditus.

An. 717.

Huius sancti viri meritis, & cænobiij dignita-  
 te illectus, Gerardus Comes Sperliacensis anno  
 852. Sperliacum pradium suum Vuormholt anis  
 cænobitis assignauit, monasterio ibidem ædifi-  
 cando. Vtrumque porro cænobium paulld post à  
 Danis est euersum, corpusq; S. Vuinoci Audoma-  
 ropolim Artesie translatus.

An. 852.

Ceterum Balduinus, cognomento Caluus,  
 Flandria Comes, cum aduersus barbarorum in-  
 cursus presidij & vallo Bergas cōmuniuisset, an.

non-



An. 920.

nongentesimo vicesimo, obnitentibus Audomaropolitanis, S. Vuinoci corpus Bergense ad opidum transtulit, & in Canoniorum secularium Basilica, à se in honorem SS. Martini & Vuinoci constructa, collocavit. Post autem Canonici diuina officia negligenter peragentibus, Baldu-

An. 1018.

inus Barbatius, itidem Flandriæ Comes, anno millesimo vicesimo octauo, Bergis S. Vuinoco cœnobium construxit, eoq; corpus sacrum ex Canoniorum Basilica transtulit. Monachis autem ex Bertinensi monasterio euocatis pulforum Canoniorum possessiones, censusq; Vormhoutanos attribuit. Hæc ferè Meyerus in Annalibus Flandriæ.

De his ipsis rebus sic Iperius Chronographus Bertinensis: Sanctorum corpora, Bertini, Audomari, atque Vuinoci à B. Folquino Episcopo Morinensi, sub terra recondita fuerant propter metum Danorum. Post hoc Comes Flandriæ Balduinus Caluus à nobis corpus B. Vuinoci vi ablatum Bergis in Ecclesiam Canoniorum, quam ipse in honore SS. Martini & Vuinoci fundauerat, collocavit. Nunc vero Domini Roderici Abbatis anno secundo, Flandrensis Comes Balduinus Barbatius, apud Bergas in arce castellum ædificare cœperat; sed mutato consilio monasterium ibi prope ædificauit, in honore S. Vuinoci. Cuius causa fuit hæc: Canonici S. Martini Bergensis iam dicti, de sua religione minùs solliciti,

citi,



citi, diuina officia paruipendebant. Quod Comes experiri volens, quâdam nocte dum custos ad pulsandum Matutinum Ecclesiam aperiret, habitu mutato quasi oraturus intrauit. Custos pulsatis Matutinis, nulloque veniente claudere voluit Ecclesiam & Comitum, quem plebeium existimabat, compulsi exire. Quo dicente se velle audire matutinum, respondit totum esse completum, nec Canonicos ad matutinum surgere solitos. Sicq; Comes certificatus de illorû irreligiositate, Canonicos omnes expulit, prætermisso castro, quod incœperat, monasterium S. Vuinoci ædificauit. Corpus B. Vuinoci ab inferiori Ecclesia, id est, Canonicorum ad hoc nouum suum monasterium transtulit, & monachos sumptos de monasterio S. Bertini in illo loco collocauit, dans eis bona Canonicorum prædictorum, cum bonis de Vormhout, addens & de suo. Istudque monasterium Domino Roderico Abbati modo & Ecclesiæ S. Bertini dedit perpetuò possidendum. Hoc est, quod nunc dicitur monasterium S. Vuinoci Bergensis. Quod ipse Rodericus septem annis per se rexit, & tandem eis Abbatem præfecit Germanum Sithiensem monachum, qui vix quadriennio vixit. Post quem Abbatem ibidem ordinauit Rumoldum monachum suum.

*Quomodo autem Bergense hoc monasterium à Bertinensi fuerit separatum, propriumq; accepit Abbatem, ita narrat idem Chronographus*

*S. VVinoci  
cœnobium  
in Monte  
seu Bergis  
S. VVinoci  
ædificat.*



*Bertinensis : Durantibus bellis Roberti Frisii, Flandriae Comitis, contra Richildem, & filium eius Arnulfum, itemque Philippum Franciae Regem, & Domino Heriberto Abbate nostro absente & apud Antiffiodorense monasterium suum moram trahente, regiminis sui anno quinto, Rumoldus Abbas S. Vuinoci Bergensis, nosterq; monachus obiit. Quo defuncto, sicut assolent ablato capite membra dissolui, monachi Bergenses, spretâ obedientiâ Abbatis nostri S. Bertini, elegerunt Abbatem non de collegio S. Bertini, ut tenebantur, sed de suo Bergensi collegio sumptum. Quod tamen eidem in partem cessit contrariam. Nam propter hoc vitium, quod fortè Dominus in eo puniuit, dum monachos suos ad religionem compelleret, inuidè murmurabant, & dedignabantur eidem obedire, quem dudum habuerant socium. Vnde seditionibus & conspiracyonibus eum turbare non cessauerunt. Flandria etiam tota bellis & inquietudinibus agebatur. Quare monachos suos cohibere non poterat. Igitur Bergenses monachi, de quodam iuvene nobili Ingelberto, filio filiae Comitis Flandriae Balduini Barbatii, spem concipiunt, ut illum sibi praeficerent, si Ermengerum deponere possent. Putabant enim iuvenem eorum voluntatibus faciliter iudicaturum. Multis igitur & falsis Ermengerum culpantes, eum per Hugonem Diensem Papae Legatum deponi fecerunt. Cum ergo innotuit Roberto Frisoni, qui tunc Flandris*

*prae-*



præerat, Ermengerum sic depositum, Ingelberto non consensit, sed quemdam cognatum suum, nomine Manassem, de monasterio Viridunensi, eis nolentibus & reclamantibus, quibusdam & de monasterio recedentibus, præfecit, anno millesimo septuagesimo octavo; qui prudenter res Ecclesiæ suæ disponens, à Papa Gregorio anulum, mitram & sandalia impetrauit. Sed ab inuidis accusatus, & à Comite de dilapidatione in causam tractus, respondit non Comitem, sed se esse Abbatem, & de suo non Comitem, sed se disponere posse & debere. Quo responso Comes indignans, ei Ecclesiam Bergensem prohibuit. Manasses igitur assumptis sibi quæ poterat, cum privilegijs & insignibus suæ dignitatis abscessit: & sic usque hodie Bergensis Ecclesia Pontificalibus caret. Ab hac die Ingelbertus præfatus, communi consilio Abbas in Bergis efficitur. Et sic tumultuantibus Flandris, & duobus tantæ nobilitatis viris successuè ibidem Abbatibus institutis, Bergenses ab obedientia Abbatis S. Bertini sunt alienati; Abbate nostro Heriberto absente, impellenteque potenti manu Principis, nemineque contradicere præsumente seu audente. *Hactenus Iperius.*

*Quâ porro ratione apud Bergenses Cluniacensis reformatio sit instituta, ex eodem Iperio audiamus: Anno CIO. CI. Ingelbertus Abbas S. Vuinoci Bergensis, postquam XXXI. annis, illam Ecclesiam rexisset, positus in mortis*

*An. 1101.*



articulo, palam confessus est Dominum Ermengerum Abbatē suum, à se regnandi cupiditate minus iustè depulsum. Igitur eo defuncto anno C15. CI. Bergenses Ermengerum resumserunt Abbatem, qui per Papam & Episcopum Morinēsem approbatus vix triennio supervixit. Tunc Bergenses de suis electionem fecerunt. Episcopus autem videns illam Ecclesiam indigere correctione, Roberto Comiti Flandriæ indicavit illam Ecclesiam per virum religiosum corrigi fore necesse. Comes hortatu suæ coniugis Clementiæ, per Lambertum Abbatem nostrum inductæ consensit. Igitur instinctu Abbatis nostri, Hermetem Priorem nostrum hîc à puero nutritum, tunc Cluniaci commorantem, Abbatem in Bergis ordinavit. Die præfixo Comes Bruno Apostolicæ Sedis Legatus, Ioannes Episcopus Morinensis cum clero, Abbas quoque noster cum Abbate novo & monachis nostris, quos illuc ad ordinem introducendum adduxerat, in Bergis adsunt. Bergensibus quaquaversum dispersis, Abbas Hermes inthronizatur, an. Domini millesimo cētesimo quarto, qui diruta pœnè reperit omnia, sed spē suam in Deo ponens opus aggreditur, sic ut in breui, quoad spiritualia, multi confluerent ad conversionem, & quoad temporalia in ædificijs & possessionibus per eum retractis & acquisitis, Ecclesiæ suæ magnam sentiret emeliorationem.

An. 1104.

Sic Lambertus Abbas in hac mutatione  
Bergensi



bergenſi duo magnifica fecit. Primò nos ad noſtram Eccleſiam, & quæ noſtra fuerant, reſtituit. Secundò quia locum quaſi ex toto lapſum in toto reparauit. *Haëtenus Iperius.*

## HVNOCVRTENSE

*Monafterium in dioceſi quidem Cameracenſi,  
ſed in ditione regni Gallie, ad Scaldim fl.  
tertio lapide à Cameraco  
ſitum.*

**Q**uidam vir nobilis Amalfridus nomine, monafterium in ſua proprietate conſtruxerat, in pago Cameracenſi, ſupra fluuium Scaldim, in loco vocato \* Hinilficurte, in quo monaſterio filiam ſuam Aurianam fecerat Abbatiffam. Hoc monaſterium cum ſuis pertinentijs, ipſe Amalfridus beato Bertino donauerat, eo tamen tenore, vt ipſe & filia eius Auriana, eundem locum, quamdiu viuerent, tenerent, ſed poſt vtriuſque obitum ſanctus Bertinus, eiſque ſucceſſores hoc haberent, tenerent, & quemcumque vellent, eidem proponerent. Quam donationem Amalfridus priuilegij ſui traditione firmavit: quod ſic incipit: Quantum intellectus ſenſus humani &c. Actum Veromanduis, Februarij die octauo, anno XI. Regni Theoderici glorioſiſſimi Regis. Quod Amalfridus regali priuilegio confirmari fecit, quod ſic incipit. Quoties recta poſtulatatio, &c. Datum Kalendis Aprilis, XIII. regni noſtri in Pa-

\* *Aut Hu-  
nulficurte.*



rifiaco palatio. Deinde Amalfrido Auriana-  
que defunctis, moniales ibi succedere S. Ber-  
tini successores inhibuerunt, & monachos  
ibi statuerunt, Ecclesia itaq; illa subiecta fuit  
Abbati S. Bertini. Quomodo verò sit abalie-  
nata, & ab hac obedientia nostra recesserit,  
scripta nostra non continent. *Sic Iperius in  
Chronico suo MS. Bertinensi.*

Lib. 1.

*Fuit autem cœnobium Hunocurtense, à pri-  
ma institutione, sexus utriusque, & à sancto Vin-  
ditiano Cameracensi Episcopo consecratum, ad-  
stante Sancto Lamberto Traiectensi Episcopo.*  
Testatum id reliquit his verbis Chronographus  
Cameracensis: Vinditianus Pontifex in vico,  
qui à sede Cameracensi fere VII. miliaribus  
distans, vocabulum Hunolcurth ab antiquis  
accepit, monasterium, accersitis secum non  
paucis Coëpiscopis, unaq; etiam beato Lam-  
berto Leodicensi, martyre pretiosissimo, ad  
laudem Dei & venerationem S. Petri cōsecre-  
uit, ibiq; clericos & sanctimoniales cōstituit.

Lib. 2.

*Idem Chronographus, libro secundo, de cœno-  
bij huius auctore ista refert: Transeamus ad  
monasterium sancti Petri in villa Hunulcurt,  
vbi sanctam Pollinam quiescere certò repe-  
ri. Hoc nimirum illustris vir Amalfridus,  
cum vxore Childebertana fundauit, deputa-  
tisq; sanctimonialibus filiam suam Aurea-  
nam præfecit; fuitq; olim religione florens  
& opibus. Nunc autem, postquam viris mili-  
taribus beneficiatum est, ad paucos Canoni-  
cos deriuatur.*

*Ex qui-*



*Ex quibus verbis patet in Hunonis curia Canonicos aliquandiu resedisse: quibus amotis Benedictini demum successerunt, qui hodieq; locum istum possident.*

*De SS. Pollina & Valeria virginibus, itemq; S. Liefardo, quorum reliquiæ hîc olim quieuerunt, vide Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij.*

## CAPVT XXXII.

*S. Maria ad Martyres monasterium, apud urbem Treuerensem.*

**H**abet id nomen à SS. Martyribus Thebæis, eò loci anno 291. trucidatis, fuitque olim Regum Galliæ palatium, quòd in basilicam Deiparæ conuersum est anno circiter 380. à Felice Treuerensi Episcopo. Idem postea conuersum est in monasterium anno circiter 644. à S. VVilibrordo Vltraiectensi Archiepiscopo Galliæ Belgicæ Apostolo. In hoc monasterio adseruatur altare portatile S. VVilibrordi quod vir Dei circumferre solitum est, cùm Batauiam ac Frisiam, Euangelium prædicans peragret. Monasterium istud à Normannis anno circiter 696. vastatum, Theodericus & Egbertus Archiepiscopi Treuerenses instaurarunt. Ita ferè Bruschijs.

694.



*Cella monachorum, hodie Ethonis monasterium.*

700.

**I**D situm est ad Nigram filuam prope Kentz-  
hikum, non procul à Rheno, fundatum,  
que anno circiter Christi 700. à *Vigero* vel  
*Vvingerno* monacho, postea Argentinensi E-  
piscopo Anno 734. renouatum est auctum-  
que ab *Ethone* Comite Haspurgico, qui eius-  
dem loci primus Abbas fuit, ac demum Ar-  
gentinensis Episcopus: à quo Ethonis mo-  
nasterium hodieque dicitur: vnde & versus  
isti nati.

*Anno ter deno septingentesimo quarto,  
Antistes claustrum renouando condidit Etho.*

## CAPVT. XXXIII. EPTERNACENSE

*S. Vuillibrordi monasterium, in Ducatu Luce-  
burgensi, tertio à Treueris milliari.*

**E**Pternacum apud Leucos ( à quibus Luce-  
burgenses, seu Leuceburgenses nomen tra-  
xisse videntur ) vetustum est opidum,  
quod originem ac florem suum debet illustri huic  
cœnobio per B. VVillibrordum, Batauorum  
ac Frisorum Apostolum, à fundamentis excita-  
to. Porro Epternacensis agri medietatem vnam

Pipi-



Pipinus Herstallius, Dux Francorum & Maior domus regia, eiusque coniux Blittrudis, Hugoberti filia, B. Villibrordo dono dederunt. Alteram verò medietatē, ab Irmina Abbaiſſa Dagoberti Gallie Regis filia ( quæ adiut ante patre, virginum apud Treueros monasterium, quod Horreum nuncupant, fundauit ) idem vir sanctus impetrauit, eoq; loci insigne monasterium in honorem SS. Trinitatis, S. Ioannis Baptiste, & SS. Apostolorum Petri & Paulli exadificauit. Harum rerum testem idoneum habeo Theofridum Abbatem Epternacensem in historia vita S. Villibrordi, quæ Epternaci & apud nos exstat manuscripta: Dux, inquit, excellentissimæ generositatis Pipinus, cum Blittrude conthorali sua, æquæ generosis orta natalibus, tertio Idus Maij, anno duodecimo Childeberti gloriosissimi Regis, dedit B. Villibrordo Epternacensis fisci medietatem integram, à Theodardo egregij Ducis Theotharij filio sibi traditam. Irmina verò, Dagoberti Regis filia, hereditario iure, possessam, cum omnibus appenditijs, & adiacentijs suis, cum villa montis sita in pago Tulbiacensi, in Kalendis Decembris addidit partem alteram. Idem munificus Princeps, sub chirographi conscriptione, anno quarto Regis Dagoberti, sexto Nonas Martij, tradidit illi villam in pago Mosariorum sitam, & à præterfluetis fluuij nomine Suestram nuncupatam, & egregiæ Blittrudis sagaci industria ab ingenuis viris pecuniæ



An. 1110.

impendijs comparatam. Et quia vtriusque loci situs tam sapienti architecto visus est amœnus, & cœnobialis vitæ studijs apprime aptus & dignus, in vtroque iactis fundamentis exædificauit cœnobium, & in montibus Israël, in pascuis vberimis pascendum aggregauit gregem dominicum. Hactenus Theofridus, qui anno millesimo centesimo decimo obiit.

An. 739.

Beatus autem VVillibrordus anno Christi septingentesimo tricesimo nono in Domino obdormiuit, cuius sacrum corpus Epternacensi in monasterio conditum, hodieq<sup>3</sup> miraculis plurimis claret.

An. 775.

Quo quidem defuncto, Albertus, eius discipulus monasterij regimen suscepit, præfuitque annis 37. & obiit an. septingentesimo septuagesimo quinto, tēporibus Caroli Magni Imperatoris.

Huic à Carolo Magno in Abbatiali dignitate suffectus est Beonradus, Senonensis quondam Episcopus, cui historiam vitæ S. VVillibrordi, versibus comprehensam, Alcuinus inscripsit.

De ceteris huius monasterij Abbatibus, alijsq<sup>3</sup> eòdem spectantibus plura qui volet, R. V. Ioannis Bertelij, Abbatis Epternacensis, amici nostri, Historiam Luceburgensem legat; quem virum aliqui eruditum, miror non Pipino Herstallio, sed eius demùm filio Carolo Martello, monasterij huius exordia adscribere.

Fuit



*Fuit hoc monasterium olim à Canonicis in-  
fessum, quibus ob liberio rem vitam amotis Ra-  
uengerus Abbas, cum quadraginta monachis  
Benedictinis successit. Is annis triginta tribus  
in præfectura exactis, obiit anno millesimo se-  
ptimo.*

An. 1007.

## CAPVT XXXIV.

*Campidona seu Campidonense monasterium.*

**S**itum est hoc monasterium in Rhetia,  
extra urbem Imperialem eiusdem nomi-  
nis, fundatumque anno Christi 777. ab  
Hildegarde, Caroli Magni Imperatoris con-  
iuge. Donatum est libertatibus maximis ab  
Adriano Pontifice Maximo, à quo & conse-  
cratum est ac dedicatum, cum is Imperatri-  
cem ex Italia in Germaniam secutus esset.

777.

Ceterum Abbas Campidonensis, præter  
iurisdictionem sacram, habet & ius gladij;  
vnde versus natus, quem Abbas ac Princeps  
loci huius, cum Herbipolensi Episcopo, ferè  
communem habet;

*Campidona sola, iudicat ense, Stola.*

In hoc monasterio à se fundato, quiescit S.  
Hildegardis Caroli Magni coniux, Ducissa  
Sueviæ & Bauariæ multisque claret miracu-  
lis vt tradit Ioannes Pistorius Præpositus  
Vratislanienſis, in chronico suo Constanti-  
ensi edito cum Magno chronico Belgi-  
co, anno 1607. Franco-  
furti.

CAP.



## CAPVT XXXV.

*Monasterium S. Isidori de Duenas, in regno Legionensi, apud Hispanos.*

714.

**S**unt qui putant hoc monasterium fundatum à *Garzia* Rege Legionensi. Ex vetustis monumentis constat illud antiquius esse temporibus dicti Regis & *Alfonsi* parentis ipsius, adeoque fundatum fuisse ante Maurorum in Hispaniam aduentum, qui contigit anno 714. *Alfonsus VI.* Rex Legionensis, hoc monasterium cum reliquis sui regni, submisit Congregationi Cluniacensi: ut tradit *Prudentius Sandouallius*, in foundationibus monasteriorum Benedictinorum in Hispania. Floruit autem *Alfonsus VI.* Era 1118. id est an. Christi 1900.

1900.

## CAPVT XXXVI.

*S. Magni Fussenfse monasterium, in Sueuia.*

720.

**S** Magni Faucense cœnobium, in Alpstri Sueuia ad Lycum amnem, in eiusdem nominis oppido situm, diœcesis Augustanæ, dictum olim *Faucensa*, nunc mutata parum voce *Fussenfse*, quod intra Sueuiæ alpium fauces quasi lateat; id, inquam, fundatum est anno Domini 720. ad preces *S. Magni*, vnus ex primis Germaniæ Apostolis à potentissimo Francorum Rege *Pipino*; postea auctum & locupletatum à *Carolo Magno* Rege, & à

VVictor-



VVicterpo Episcopo Augustano; dotatum vero à Leopoldo Austriae Marchione, & Guelphone Sueuorum Duce. Ita ferè Bruschiuss.

*Murbachium in Superiore Alsatia.*

**E**st hoc monasterium vnum ex quatuor Germaniae potentissimis, quorum Abbates singulari dignitate ceteris Abbatibus preminent, & vt Romani Imperij Principes, omnibus Imperij causis interesse solent. Fundatum legitur anno circiter 724. ab Eberhardo Sueviae & Alemanniae Duce, petente S. Pirminio Meldensi Episcopo, & approbante Theoderico Francorum Rege. Cuius diploma haud abs re fuerit hic adscribere.

724.

*Theodericus Rex Francorum, viris apostolicis, Patribus, Episcopis, nec non & illustribus viris, Ducibus, Patricijs, Comitibus, vel omnibus agentibus tam praesentibus quam futuris, &c. Igitur dum venerabilis vir Pirminius gratia Dei Episcopus, nostris temporibus cum monachis suis Deo inspirante pro Euangelio Christi peregrinatione suscepta, monasterium virorum in eremo vasta quae Vosagus appellatur, in pago Alsacensi, in loco qui vocatur Viuaris peregrinorum, qui ante appellatus est Mourbach, allodio fidelis nostri Ebrohardi Comitiss, cum ipsius adiutorio, Deo cooperante, conatus est construere monasterium, vel caenobium sanctum ibidem instituere in honorem Dei & genitricis, D. nostri Iesu Christi, &c.*

Gun-



*Gundolfi villa in Dei nomine feliciter, Amen.*

*Fabarium, in D. Churiensi Germanicè Pfef-  
fers.*

734.

**F**undatum id legitur suasu S. Pirminij Episcopi Meldensis, & Abbatis primi in Augia diuite, sumptibus *Caroli Martelli*, sub Theoderico II. Galliarum Rege, eodemque Alemanniæ, Rhetiæ, & Heluetiæ Domino anno Christi 734. Primus Abbas Fabariensis fuit dictus S. *Pirminius*, multorum cœnobi-  
orum pater atque instaurator. Sunt autem thermæ Fabarienses apud Germanos nobilissimæ utpote saluberrimæ. Ita ferè Bruchius libro citato.

*Manseense monasterium, vulgò Mansee, in  
Austria.*

739.

**M**onasterium hoc *Vtilo Dux*, instinctu S. Pirminij, Episcopi Metensis, prope *Menen* lacum Noricorum construxit, circa annum 739. Auentinus in Annalibus: *Mansee Noricorum adem, ab Episcopis Ratisbonensibus in paupertatem redactam, D. Benedicti imposito magistro reddit Imperator Henricus sanctus. Idem Auentinus; Baturicus Episcopus Ratisbonensis hoc monasterium ab Hemma Regina Boiorum impetrarat an. 831. Ipsa ab eodē superius monasterium Ratisbonense receperat.*

*Inser.*



Insertum est autem hoc monasterium ceteris Bauaricis, quod à Principibus Bauariæ sit institutum: Et quia olim vnà cum eiusdem monasterij aduocatia, castro ac dominio *Wilde-neck* sub quo situm est, spectabat ad principes inferioris Bauariæ; quæ post bellum Bauaricum Cæsari Maximiliano I. cum multis alijs Dominijs nomine expensarum factarum, ab Alberto Duce Bauariæ data sunt, incorporata Austriæ super Anassum, Archiepiscopis Salisburgensibus pluribus annis oppignorata, demum à Statibus prouincialibus super Anassum redempta, hodie Austriacos agnoscunt suos dominos. Sic Hundius in Metropoli sua Salisburgensi,

*Burense monasterium, vulgò Beurn, prope Alpes, in diœcesi Erisingensi.*

**N**obiles ac pij viri, *Landfridus, Valdramus, Elilandus*, fratres, Comites ab Antorf & Loyfa dicti, filij Theodeberti ducis tertij, ex familia primorum Ducum & Regum Bauariæ, anno 740. (quo tempore *S. Bonifacius*, Moguntinensis Archiepiscopus, in Francia Orientali, Frisia, Austrasia & Bauaria fidem Christi seminabat, & plura Monasteria vbique construebantur) octo Monasteria prope Alpes & Lycum ædificarunt & fundarunt, quinq; pro maribus, nempe *Beurn, Schlechdorf, Sinerstat, Sandau, VVessenprum*, tria pro virginibus, *Polliug, Staf-*

740.

Staf-



*Staffelsee*, *Cocklsee*, quibus præfecta est *Gelouinda*, soror fundatorum. Hæc omnia monasteria *S. Bonifacius* Archiepiscopus Moguntinensis dicitur consecrasse ijsque regulam *S. Benedicti* præscripsisse. Quæ quidem monasteria per Vngaros deuastantur, anno 973. *Cochelsee*, & *Staffelsee*, ad lacus eiusdem nominis; *Smerstat* verò & *Sandau*, haud longè à Lyco sita, ab Vgris excisa delataque, penitus interierunt: cetera verò restituta sunt. Hoc nostrum *Burense* monasterium reficitur per *Richolthum* Præsulem, sub Ottone, secundo Imperatore, & *S. Vlrico*, Episcopo Augustano.

Reiectis Augustinianis monachis, operâ *Adalberonis*, Comititis de Sempra, Aduocati huius monasterij, restituitur Benedictinis, per *Heinricum* tertium Imperatorem, qui eò *Helengeriorem*, Abbatem Tigurinum, cum duodecim monachis transtulit.

*Henricus* quartus Abbatiam *Burensem*, dictam in pago *Sondergeu*, in comitatu *Sigmari* Comititis sitam, *Eleuhardo*, Episcopo *Frisengensi*, & illius Ecclesiæ, tradidit; ita vt liberam potestatem habeat tenendi, construendi, & quidquid ad communem illius Ecclesiæ vtilitatem voluerit faciendi, anno 1065. sic ferè *Huadius*.

(:o:)

†

C A P.



## CAPVT XXXVII.

ALTA INFERIOR, *sive* ALTAICH  
*inferius, in Bauaria inferiori, ad Da-*  
*nubium.*

**A**mplissimum ac ditissimum monasteri-  
 rium istud benedictini Ordinis, in  
 Bauaria inferiori ad Danubium est si-  
 tum. Vnde verò *Altaich Inferius & Superius*  
 nomen atq; originem habeant, nempe a dua-  
 bus vetustissimis & prodigiosæ magnitudi-  
 nis quercubus in ripa Danubij, quò frequens  
 populus gentilis coibat, & victimas immo-  
 labat (quæ loca noij post receptam Christi-  
 anam religionem in templa, ac deinde in cœ-  
 nobia commutauerunt) tradit Ioannes Auen-  
 tinus in Annalibus suis, libro tertio.

Fundatum est hoc monasterium, sicut &  
 Altaich superius, ac pleraque alia, consilio  
 S. Pirminij, Episcopi Metensis, ab *Vtilone* Du-  
 ce Bauariæ, in honorem S. Mauritij anno 741.  
 sub Zacharia Pontifice Maximo, Bellis ta-  
 men postea atque incendijs vastatum fuit:  
 instauratum verò per Imperatores & Reges  
 Romanos qui illud maximis muneribus &  
 priuilegijs auxerunt, sicuti hoc ipsum te-  
 stantur Annales eiusdem monasterij. *Tassio*,  
 filius *Vtilonis*, plurima prædia huic  
 monasterio dedit, quorum magnam par-  
 tem per discordiam Principum amisit. *Ca-*  
*rolus Magnus* tradidit huic monasterio pri-

741.

M

uile-



uilegia immunitatis, & prædium in *Spitz* & in *Bachouia*, in Austria anno 812. Chronicon monasterij Altaichensis per Georgiū Abbate conscriptum, tradit Carolū Magnum, cū terram Auarorum siue Pannoniam, quæ nunc Austria est, octo annis perdomuisset, expulsi Auaris, totam inter Ecclesias Bauariæ, Pontifices, Abbates, Comites & Barones diuississe, & monasterio Altaich magnam partem tradidisse. *Ludouicus* item, Caroli Magni nepos, Orientalis Franciæ Rex, tradidit Ecclesiæ Altaichensi quædam priuilegia an. 843.

Huic monasterio Altaichensi incorporatum est monasterium de *Rinichnach* an. 1040. vt tradit *Hundius* in Metropoli Salisburgensi.

Altha, siue

ALTAICH SUPERIVS, *ad Danubium, in Bauaria.*

**V**tilo Dux Bauariæ, instinctu S. Pirminij, Episcopi Metensis, qui tunc apud ipsum erat, sex monasteria construxit, vnum prope *Menem* lacum Noricorum (de quo supra diximus) quinque in inferiori Bauaria iuxta Danubium, *Patauiæ Nidernburg*, pro sacris virginibus, *Osterhouen*, *Pfaffenmunster*, *Altaich superius* & *inferius*, quæ S. Pirminius dedicauit. Althæ superiori *Etæo* Argentoratensis Episcopus dedit monachos S. Benedicti, circa annum Domini 739. Aduocati Althæ superioris fuerunt Comites de Pogen, qui

739.

multa



multa beneficia ei contulerunt. Nam *Asvvinus & Fridericus*, Comites à Pogen, monasterium hoc ab Ungaris exustum anno 1102. instaurarunt; vnde non solum pro Aduocatis verum etiam pro secundis fundaroribus illius monasterij habiti sunt. Sic idem Hundius in Metropoli Saliburgensi.

## CAPVT XXXVIII.

*Fuldenſe monaſterium in Silua Buchonia in Germania*

**A**Nnalia litteræ annum signant conditi Fuldenſis monaſterij ſeptingentiſimum quadrageſimum quartum ab ortu Chriſti. Teſtis Rodulſus hiſtoricus Fuldenſis, his verbis: *Monaſterium conſtituit S. Bonifacius monachorum anno ante paſſionem ſuam decimo, qui fuit ab Incarnatione dominica quartus & quadrageſimus & ſeptuageſimus annus*: quo nihil dici potuit rotundius. Paſſus eſt enim S. Bonifacius anno 755. in Iunio; Rudolſo aſſentitur Marianus Scotus, & alij. Neque intereſt biennio citius à Sigeberto vel ſerius ab alijs originem hanc litteris commendare.

Conſummando monaſterio auctores exſiſtere Carolomannus princeps, idem Pipini frater, Caroli Martelli filius & Caroli magni patruus, nec nō Zacharias Pōtifex Romanus.



Carolomannum Bonifacius Christianis non modò vitæ præceptis imbuerat, sed philosophariam tum quoque docuerat. vnde ipsum ad omnia inchoatæ Religionis opera promptum, & monasticæ in primis rei patronum excellentem habuit. Iam verò Carolomanno per Turingos & Oriëntales Francos, ob motus Saxonicos frequens iter erat, vt ex facili, locum & sedem roganti Bonifacio apud Fuldam concederet. Qua de re vide lib. 2. Othlonum Fuldensem monachum, qui primus post S. VVilibaldum vitam S. Bonifacij accuratius exposuit.

Ceterum Abbas Fuldensis est Primas per Germaniam & Galliam, Princeps imperij & Imperatricis Archicancellarius; Ex monasterio ac schola Fuldensi quamplurimi Episcopi, Archiepiscopi & viri scriptis celebres prodierunt: de quibus vide Christophorum Brotlerum Soc. Iesu presbyterum, qui libros 4. Antiquitatum Fuldensium conscripsit.

*Thierhaubtense monasterium, tertio lapide ab Augusta Videlicorum.*

750.

Est id non procul à Lico ad riuum Achsitum, fundatum in honorem SS. Petri & Pauli Apostolorum, à potentissimo Duce Bauariæ Tesselone, anno Domini 750. quo fere tempore idem Dux *VVessespromen* eiusdem ordinis Abbatiam, inter Amperam & Lycum fluuios erexit; auctum verò & locuplera-

plera-



pletatum à *Lothario* Imperatore, *Ludouici* Pij filio, anno Domini 846. teste *Ioanne Auentino* lib. 4. *Annal.*

Tertiò demum est auctum à *Gebhardo* *Ratisbonensi* Episcopo, *Comite Dieffenfi*, & *Hochenvvartensi*, secundum *Ioannem Auentinum* in *Annalibus*, non *VVitlspacensi*, ut *Bruschius* in sua *Centuria* opinatur, necnon à fratre dicti *Gebhardi* Episcopi *Comite Rapothone*, fundatore *Hochenvvartensis* monasterij, & *Hemma* eius coniuge, quam *Bruschius* alibi *Ducissam Austriæ*, alibi verò, *Comitissam VVerdeæ* vocat, quod verisimilius est, anno 1022. Contulerunt autem huic monasterio & *VVitlspacenses* *Comites*, multa bona *Mattheus Marscalcus* *Canonicus Augustensis*, in libro suo de *Palatinis*, ca. 50. & 79. refert aliquas inscriptiones in hoc monasterio extantes, de *Palatinis VVitlspacensibus*, & eorum donationibus.

Sub *Ioanne Abbate XIX.* viro magni ingenij & consilij, *Ludouici* *Bauariæ Ducis* *Consiliario* incendio periit monasterium, estque per eundem magnificè restauratum, anno Domini 1403.

In bello *Bauarico* hoc monasterium vnà cum pagis suis miserè vastatum est. *Albertus* *Dux Bauariæ* pro restauratione ipsius dedit *Teloneum* & *Vngeltum*, ut vocant, anno Domini 1506. *Petrus Abbas* ita restituit atque instaurauit, ut eius secundus fundator dici meruerit, qui anno 1511. obiit; Ita *Hundius*.



## CAPVT XXXIX.

## LAETIENSE

*Monasterium, milliari vno ab Auenna Hannonie  
opido, ad Helpram fl. situm.*

*An. 751.*

*VVibertus  
Comes, &  
fundator  
monasterij  
Latienfis.*

**A**Nno ab incarnatione Domini septingentesimo quinquagesimo primo, gloriosissimus Princeps Pipinus, Caroli Martelli filius, singularem Francorum ac Germaniæ monarchiam obtinuit. Inter cuius aulicos Francigenas enituit nobilissimus VVibertus Comes, pago pictauiensi ex illustri ortus familia, eiusque coniux Ada nomine, claris natalibus non minus conspicua ex Francorum nobilioribus. Is igitur honorem cumulatissimum in aula Regis Pipini adeptus omnibus amabilis exstitit. Erat quippe vir supra modum & corporis viribus & animi magnitudine præstans. Hic post varias hostium strages, & crebras victorias, soli Deo seruire quietè desiderans, cogitauit relicto natali solo, curisque bellicis valere iussis, secedere, si modò cum venia Regis & munificentia sibi permissum foret. Regem ergò adiens, quid animo gereret, aperuit. Rex eius petitioni hilari vultu annuens, ei contulit, inter Theoracense & Hannoniense territorium, iure perpetuo possidendam totam terram à Molhaimo vsque Senuescum, quæ nunc Val-

lis di-



lis dicitur. Comes de dono gratias egit, ac valedicens, paullo post vxorem ac liberos, totamque familiam ad locum sibi concessum aduexit. Vbi commorans cum die quadam in venatibus aprum agitaret, contigit, vt eum comprehenderet super flumini Helpram, in loco qui Lætitia dicebatur. Cumque luminibus late circumductis loci situm & comoditatem peruidisset, credo non fortuito, sed diuino instinctu animo incidit, vt locum illum, qui prius fuerat ferarum, habitationem faceret hominum, ac monasterium in honorem Dei ac sancti Lamberti martyris construeret. Quod Deo opitulante ad effectum vsque perduxit. Erant Vuiberto filij ac filia complures, inter quos erat Guntardus filius, vitæ sanctitate conspicuus, qui soli Deo vacare cupiens sanctæ religionis habitum adsumsit, ac primum huius loci Abbas effectus est, nec non Hiltrudis & Berta filia. Interea Hugo Dux Burgundiarum adamauit virginem Hiltrudem, quam ardenti amore quæsiuit sibi matrimonio copulari. Ea quippe virgine nihil erat formosius, nihil amabilius, nihil modestius. Idcirco virginis tum pulchritudine, tum modestia Dux pellectus, nullum non mouit lapidem, quo frueretur cupitis amplexibus. At virgo sacra Christum solum amans, Christum sitiens, cui soli desponderi optabat, assiduis precibus & lacrymis suam Domino virginitatē comendabat. Quid multa? Die constituto dum cum parentibus fa-

*Guntardus  
Vuiberti  
filius.*

*S. Hiltrudis  
virgo Vuiberti  
filia,  
quiescit  
Latij.*



cræ virginis collocuturi de matrimoni negotijs conueniunt, pertentatur à parentibus virginis animus. Quibus illa respondit: Si meam in hac re quæritis sententiam, paucis iudietis: Christum iamdiu super omnia diligo, huic fidem feci, huic castitatem seruare cupio illibatam. Si mihi patres esse, si me filiam habere vultis, si me à meo, qui me amauit, sponso non seiungitis, vos mihi patres, me vobis filiam & agnosco & profiteor. Sin aliàs, nec vestram magni pendo paternitatem, nec meam vobis impendam filiationem. Interim conquiescunt, puellaria verba, & nullius momenti esse dicunt, mutandam, vt pote mobilis ingenij, puellarem sententiam putant, verbum in crastinum reseruandum decernunt. Humilis interim virgo, quid ageret, quò se verteret, ignorabat. Parentibus resistere non poterat, nec non eis obedire nefas ducebat, sed & immortalis sponso nubere totis votis ardebat. Hoc tandem arripuit consilij. Intempesta nocte paucis admodum & fidis arbitris comitantibus, in proximam siluam confugit, ibique sibi latibulum quasiuit, melius iudicans vitam omnem cum feris degere, quàm corpus illecebris carnalibus inquinare. In crastinum pijsissimi genitores de fuga suæ sobolis certiores facti, non modicè turbantur, non modò propter filiam, sed & propter auctoritatem & amicitiam tanti Principis læsam, Suis tum mandant, vt factum silentio tegant. In verbo iterum conuenitur,

excusa-



excusationem parentes in medium afferunt, Hiltrudem in interiore conclau residentem in pridiana sententia perseuerare, ad emolliendum eius animum se non præualere, in id conuersationis eam iamdiu animum induxisse, ex quotidiano vsu vitæ eius, qui nihil omnino leuitatis habebat, & multorum attestazione id se accepisse, saluam posse manere priorem amicitiam, si alteram ex filiabus, nomine Bertam, æquè nobilem, nec minùs formosam illi in coniugium placeat assumere. His auditis Princeps Bertam suscepit coniugem, ac secum in Burgundiam abduxit, post cuius abscessum reuocatur è siluarum latebris virgo Hiltrudis, nuptura & ipsa, sed immortalis sponso. Accersitusque Theodericus Cameracensis Episcopus virginem Christi Hiltrudem consecrat, eiq; velamen sanctæ conuersationis imponit. Moxque sanctitate feruens cellulam sibi fabricari fecit in Ecclesia, oratorio fratrum contigua, in qua decem & septem annis, velut altera Anna, mundo mortua, soli Deo viuens, reclusa permansit, non recedens de templo, die & nocte orationibus insistens, corpusculum assiduis vigilijs & ieiunijs in sacco & cinere castigans. Post decem tandem & septem annos soluto corporis ergastulo feliciter ad Christum emigravit. Cuius corpus in dextra parte Altaris sancti Lamberti sepelitur, simulque in eius tumba testamentum reconditur, quod ipsa Letiensi congregationi in donum perpetuum



contulerat. Fracta igitur terrea corporis la-  
guncula, lampadum fulgore micare cœpit,  
quantique apud se sua virgo esset meriti mul-  
tis miraculis ( quibus enarrandis breuitati  
studens supersedeo ) Dominus ostendit, ita  
etiam, vt intempesta nocte circa Diuæ virgi-  
nis sepulcrum Angelorum voces audirentur  
dulcem melodiam resonantium. Quo certius  
cognito, fama que miraculorum vbique voli-  
tante, Erluinus, Deo dignus Cameracensis  
Episcopus, Deo gratias agens, quod in sua  
diocesi signorum virtus non deesset, venit ad  
locum, ac sacre virginis ossa è tumulo reue-  
renter, & solemniter, magno omnium tripu-  
dio leuauit, & in locello nouo composita, su-  
per altare sancti Lamberti collocauit, anno  
tertio imperij Henrici secundi. Vbi meritis  
sanctæ Virginis multa coruscarunt miracula.  
*Hæc ex manuscripta B. Hiltrudis historia, quæ  
Latij exstat, depromimus.*

*De qua sancta virgine, varijsque Sanctorum  
reliquijs, ex Oriente Latiam allatis, vide Mola-  
num in Natalibus Sanctorum Belgij.*

*Huius porro cœnobij Latienſis Abbas patrum  
memoria fuit Ludouicus Bloſius, cuius ex-  
stant scripta ascetica varia, quibus nihil ad ho-  
mines à cura mortalium rerum abducendos, at-  
que ad celestis patriæ amorem inflammandos,  
inueniri potest ardentius. Obijt vir pientissimus  
anno seculi superioris sexagesimo sexto.*

An. 1366.

CAP.



## CAPVT XL.

*VVessesbrunnense monasterium in Bauaria.*

**M**onasterium istud fundatur primò, cum septem alijs monasterijs, per *Landfridum, Elilandum & VValdrum* fratres, Comites ab Antorf & Loisa: ampliatur & instauratur postea, vt habent Chronica huius monasterij anno 753. per *Tassilonem* filium *Vtilonis*, Ducem boiorum, qui in Marchia Ducatus tunc regni boiorum in saltu foresti, qui *Nortvvald* dicitur, inter duo flumina *Ampecam*, & *Lycum* venationi operam dabat aprorum. Cumque noctu iuxta fluuium, à suo nomine *Tesselpach* dictum, sub tentorio dormiret, vidit in somnis scalam cælum extremitatibus & terram attingentem, Angelos Dei ascendentes & descendentes, & S. Apostolum Petrum scalæ innitentem & canentem ea, qua communiter in dedicationis officio cantari solent, venatorum *Tassilonis* alter, qui *VVesso* dicebatur, inuenit fontem in modum Crucisebullientem, qui ab eo nomen obtinuit, & dicitur hodie *Fons VVessonis*.

*Tassilo* autem Dux monasterium eiusdem nominis, cōoperante sibi S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, in honorem SS. Petri & Pauli ædificauit, & possessionibus ampliavit, vbi primus Abbas *Ilfangus* Altaichensis monachus præfuit annis XLI.

Auen



Auentinus in Annalibus de hoc monasterio sic ponit: *Haftenus à popularibus, id est, secularibus sacerdotibus, postquam ab Vngariis exustum fuit occupatum, his pulsis, sacris D. Benedicti Henricus Imperator restituit, circa annum 1050. Fuit olim ibi monialium quoque coenobium.*

Henrico Hochenkurcher de Ildorf, Abbatì Bonifacius Nonus dedit priuilegium Pontificalibus vtendi, itemque infula & baculo, anno 1402. Rexit XXX. annis laudabiliter. Resignat anno 1414. Ita Hundius in Metropoli Salisburgensi.

*Elvvangense monasterium, in Franconia.*

764.

**E**lephanciacum aliàs Elefancense, hodie Eltbangense monasterium in Franconia fundatum est anno 764. ab Hariolfo Episcopo Hingonensi, quem Pipinus & Carolus Magnus carissimum habuerunt.

Anno 1460. mutatum est hoc monasterium ex Abbatia in Præposituram, & ex monachis facti sunt Canonici seculares.

*Vtenburra seu Ottenbura.*

**V**Tenburra seu Ottenbura in Guntiana valle ad Guntium amnem sita, olim oppidum & castrum Comitum Ilergouiz, nunc verò monasterium præpotens ac pulcherrimum ordinis D. Benedicti, fundatum

• est sub



est sub Honorio Pont. Max. pro XII. monachis in honorem Dei Opt. Max. Principisque Apostolorum Petri, inuictissimi que Martyris Alexandri, à Sylacho Francorum Duce, Alemanniae Praefecto ac Illergouiae Comite eiusque coniuge Ermisuuinda, alibi Ermentrude, anno Christi 764. Diploma primae fundationis tale habetur adhuc in eo ipso monasterio:

Anno incarnationis Dominicae 764. regnante Carolo Magno glorioso Romanorum Imperatore, ego Sylachus ex Alemannia, vir nobilis ac praepotens, & vxor mea Erminsuuinda cum filiis nostris Gosberto in sancta Viennensi Ecclesia Episcopo, Tottone clerico simul, & Dagoberto laico, in domate proprio, quod diuisum ac separatum liberalissimè à cunctis heredibus contraximus & possidemus in loco qui vocatur Vttenburrha, secundum Ecclesiasticam institutionem & iudicum leges in Dei nomine construimus atque fundamus. Omnia igitur praedia vel mancipia, totamque familiam nostram omnipotenti Deo & B. Apostolorum Principi, nec non inuictissimo Martyri S. Alexandro ab hinc in legitimam ac perpetuam dotem pro incolumitate vtriusque vitae & pro remedio animarum, parentum nostrorum, praefato monasterio delegamus, eo pacto eaque videlicet conditione, ut nulli homini liceat hanc donationem aliquatenus infringere, aut vquam commutare: sed ad victum fratribus & vestitum summo & vero Regi Deo inibi mi-

764.

litan-



litantibus perpetualiter deseruiant. Si quis autem inuasor (quod absit) aut tyrannus hanc nostre donationis confirmationem irruperit, anathema sit à Deo, & mors super eum æterna veniat, viuensque in infernum per omnia secula cruciandus descendat, Amen.

## CAPVT XLI.

*Monasterium S. Martini de Ferran in regno  
Castella & Alterum S. Martini de Ihama.*

772. **F**undarunt id monasterium Paulus Abbas monasterij S. Aemiliani, Ioânes presbyter & Munius clericus an. 772. in honorem S. Martini, S. Iuliani & aliorum Sanctorum.

773. Anno sequenti fundatum est ab iisdem monasterium S. Martini de Ihama. Vt tradit Sandouallus lib. de Foundationibus monasteriorum Benedictinorum in Hispania.

775. Iidem fundarunt monasterium S. Romani de Doniscle anno 775. testibus iisdem.

## CAPVT XLII.

*Vinearum monasterium in D. Constantiensi.*

**P**otentissimum istud cœnobium non procul à Rauenspurgo imperiali in Sueuis ciuitate, in perueteri pago Altorff ad Schuffium amnem, eo ipso, sed paululum

editi-



editiore loco situm, in quo antiquitus patria,  
natale solum, & auita sedes Principum Al-  
torffensium fuit, ac ex eorundem semine na-  
torum Guuelphonum, potentissimorum o-  
lim Sueviæ Regulorum; id, inquam, ex  
arce Ducali in domum Dei conuersum, pie-  
tatisque ac litterarum gymnasium esse coepit  
anno Domini circiter 800. temporibus ni-  
mirum Caroli Magni, ex liberalitate ac mu-  
nificentia dominæ Irmentrudis, illustris Co-  
mitissæ, quæ nobilissimam voraginem Cro-  
nissam & primos Guuelphones edidisse di-  
citur; de quorum origine talis narratur  
siue historia siue fabella, Vidisse domi-  
nam Irmentrudim, quod paupercula quæ-  
dam ciuis adiacentis oppiduli Altorffensis,  
vno & eodem partu tres filios ederet; qui-  
bus visis, dixisse eam, impossibile esse, vt  
sine adulterij macula tot filios ex vno ma-  
rito femina simul excipere potuerit, verè  
esse adulteram, & adulterij poena dignam.  
Ibi sequente anno etiam illam grauidam  
factam, simul edidisse absente marito duo-  
decim infantes admodum paruulos; timo-  
re itaque & metu perculsam, ne & ipsa  
iam adultera esse existimaretur, iussisse  
vt relicto vno tantum filio, reliqui in  
proximum fluuium deportati abijceren-  
tur. Hos dum ancilla in præterfluentem  
rium Scherchium portat, venit casu, aut  
Dei potius ordinatione accitus Princeps Al-  
torffensis infantum verus pater, quærens  
quid

800.



quid ferat ancilla; quæ cum responderet catulos esse; Videamus quæso, inquit Princeps, videamus amabò, si qui nobis ex illis placent, quos tolleremus. Ancilla ostensuram sese negans, ecquid istas sordes intueri velit Principem increpat. Is verò instat, puerosq; undecim videns, paruulos quidem, sed egregia forma còspicuos, mox cuius sint inquirat. Audiens verò & discens ab Ancilla totam rei seriem, & (quare expositum traditi essent) causam, puellos siue catulos istos (quos nos Germani materna nostra lingua Vuelpen vocamus) molitori cuidam in ea ipsa vicinia habitanti alendos & educandos tradidit: ancillam ad heram cui abiectos infantes diceret, redire iussit. Postea elapso sexennio pulchre vestitos pueros in arcam suam afferri Princeps iubens; coniugem ecquid agnoscat hos quærit. Ibi ipsa deportatorum infantium memor, mox ad gēua mariti procedens, veniam comissi petit: maritus ignoscit, & gratitudinis ergò pro diuinitus seruata tam numerosa prole in ipso Altorphenſi oppidulo cœnobium monialium initio in tantæ rei perpetuam memoriā cōstruit. Hanc istius monastici loci originem, hoc verum exordium esse nō ex vllis quidē veteribus scriptis (Quid enim annotarūt? quid non potius neglexerūt somnolēti & ignaui illi superiorū temporum scriptores?) sed ex multorū senū (qui eadē sese à suis parentibus & maiorib; audiuisse narrobant) non falsa relatione cōpertū habemus.

CAP.



## CAPVT XLIII.

## S. SALVII

*Cluniacensis ordinis, monasterium, Prioratus  
titulo illustre, ad Scaldim fl. apud Valenti-  
anas Hannoniæ urbem.*

**H**abet id nomen à S. Saluio Episcopo & martyre, ibidem cum socio S. Superio quiescente; quorum sacra ossa, feretro argenteo decenter inclusa, coram aliquando venerati sumus. Ceterum nefariè vterque interemptus est, anno septingentesimo nonagesimo octauo in arce vicina, quæ Breuiticum, vulgò Bruuaige dicitur. Quorum corpora Carolus Magnus Imperator, anno post tertio, adstante clero eleuauit, atque ex loco martyrij ad vicinam sancti Martini basilicam honorificè transtulit, quæ hodieque parochialis eius loci est basilica. Adiecit eidem mox alteram basilicam in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli & S. Saluij in eaque Canonicos seculares sex, sub vnius Præpositi regimine, instituit, fisci Valentiani parte eidem assignatâ. Porro beatus Bruno Coloniensis Archiepiscopus & Hannoniæ reformator, indulgit, vt emorientibus Canonicis, ad collegiatam S. Saluij basilicam benedictini (quos in basilica S. Gaugerici, tunc extramuros urbis Valentianæ sita, Pipinus Maior

*An. 798.  
teste Sig-  
berto in  
Chron.*

*An. 801.*

*Iac. Guis-  
sianus in  
Chronica  
Hannoniæ  
lib. 14.*

N

domus



domus Aultrasiorum & postea Francorum Rex collocarat & dotarat ) paulatim commigrarent.

*Hæc ex manuscripta eius loci historia, à R.P. Theodorico Gisberto, Louaniensi, cœnobij huius Præsfecto, conscripta, & Hannonici Iacobi Guisiani Chronicis desumimus. Opera pretiū fuerit his adiungere, quæ Chronographus Cameracensis commemorat: Non procul à castro Valentianensi olim quidem sancti Martini Ecclesiola, nunc autem monasterium Canoniale in veneratione etiam S. Saluij Episcopi & martyris constat. Ipso namque tempore, sanctus Saluius totus supernę patrię inhians, causā peregrinationis habenas reliquit Episcopij, profectusque peregrē prædicationi operam dare æstimauit. Igitur de loco ad locum procedens verbum Dei populo suggererat, & maximè celebrationibus Missarum instabat. Verum vbi ad ipsam viciniam deueniret ac quadam die de Valentianensi portu ad vicum Condatum transiret, à quodam pestifero, factis infidiis, captus, in custodia relinquitur, raptisque indumentis sacerdotalibus, & ornamentis Episcopalibus, quæ secum portauerat, obtruncatur. Sepultusque à viris religiosus in supradicta sancti Martini Ecclesiā, tunc ad præsens & postea multis præconizantibus miraculis, quanti & qualis meriti exstitisset, apparuit, vt plenissimè in libro suę passionis reperitur. Vnde attonitus Princeps regionis Carlo-Martellus, pro salute animæ*

de ipso



de ipso fisco Valentianensi, & de aliis rebus locum augmentavit, sumptumque stipendiarium deputans, Canonicos constituit. Ita Chronographus Cameracensis; qui tamen memoriam hinc lapsus videtur, dum Carolo Martello attribuit, quæ Carolo Magno erant adsignanda, ut patet ex Sigeberto in Chronico, & ijs quæ paullo antè diximus.

## CAPVT XLIV.

*VVerdenense monasterium, Germanicè VVerden, in d. Coloniensi.*

**V**Verdena opidum est d. Colonienſis ad Ruram fluvium, in quo exſtat illuſtris Abbatia monachorum Ordinis S. Benedicti à S. Hudgero primo Epifcopo Monafterienſi, & Carolo Magno fundata: in qua, hodieque eiufdem S. Hudgeri ſacrum corpus quieſcit, de quo vide plura apud Ioannem Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij 26. Martij. Abbas eſt Princeps Imperij liber, atque Imperatori immediatè ſubiectus; eſtque vnus ex quatuor Imperij Abbatibus, ut nuncupant.

Cæſaris VVerda eſt itidem d. Colonienſis opidum ad Rhenum fl. ſitum, in quo nobile eſt Collegium Canoniorum, quod Sancti Suitberti Epifcopi, qui Sancto VVil-



librordo in opere Apostolico coadiutor fuit  
sacrum corpus adseruat. De S. Suitberto vi-  
de pariter Molanum libro citato. Hæc ferè  
nobiscum conuiuicauit Illustris ac Reueren-  
dus admodum Dominus Abbas Vverdinensis  
cum Antuerpiæ anno 1613. nobiscum versa-  
retur.

*Schvvarczachium monasterium in Franconia  
seu Francia Orientali.*

815.

**I**Nsigne istud monasterium, in eiusdem no-  
minis, apud Ostrofrancos ad Mcenum am-  
nem sito oppido, fundatum & liberalissimè  
dotatum est in honorem Christi Saluatoris,  
B. Virginis Mariæ. S. Sebastiani, ac Felicita-  
tis Martyrum, sub Episcopo sexto Herbipo-  
leni VVolfigero, anno Christi 815. imperan-  
te Ludouico Pio, à *Megnigando* Duce Ostro-  
francorum & Comite Ratemburgensi ad Tu-  
barum, & ab vxore eiusdem, *Ima*, alibi *Imina*  
dicta, Genebaldi Regis Francorum filia: quo-  
rum amborum in eiusdem cœnobij templo  
corpora humata sunt. Dedit fundator statim  
Abbati primo villam Schvvarczachianam, &  
præterea multa alia loca expressa in litteris  
fundatorijs, quarum colophon talis est: *Tra-*  
*dimus vobis & concedimus tibi Benedicto &*  
*monachis tuis presentibus & futuris, solius Dei*  
*& peregrinorum hunc locum cum omnibus ibi-*  
*dem contentis, vt orare debeat is pro felici statu*

S. MA-



*S. Matris Ecclesia, & pro incolumitate domino-  
rum Regum imperantium, presentium, & fu-  
tutorum. Actum in Megnigaudenhausen super  
fluuio Leymbach. Dat a mense Martio, anno 816.  
regnante Ludouico.*

*Hirsaugiense monasterium, in Germania.*

**H**uius monasterij fundatio facta est anno  
830. per Erlafridum Comitem & fili-  
um eius Nottingum. Consecratio autem fa-  
cta est in honorem S. Petri & S. Aurelij Epi-  
scopi anno 838. per Otgarium Archiepisco-  
pum Moguntinum presentibus Hildiboldo  
Archiepiscopo Coloniensi, Rabano Mauro  
Abbate Fuldensi, Hildeuino Abbate S. Dio-  
nysij, alijsque plurimis cum sacri tum politi-  
ci ordinis proceribus. De eo plura qui volet  
Hirsaugiensis monasterij Chronica per Ioan-  
nem Trithenium edita consulat.

#### CAPVT XLV.

*Arremarensis Abbatia, vulgò Monstierameij,  
in D. Trecensi, in Gallia.*

**C**oenobium Arremarense siue Adrem a-  
rense Ordinis S. benedicti, quatuor  
dumtaxat leucis à Tricassina ciuitate  
subductum est, quod etiam Deruansense nuncu-  
patur; eo quod in Deruansi silua prima eius  
fuerint fundamenta collocata, auctorem



fundatoremque habuit quemdam cui nomen erat Arremarus, cuius hodieque tamquam primi parentis nuncupationem retinet, ut secernatur à Deruenensi monasterio, quod quidem aliquot ante annis exædificatum fuerat in eadem silua, quæ per id tempus longè lateque diffusa, maxima terrarum spatia occupabat. Illa autè institutio in vetustissimo dicti monasterij codice continetur, his paucis cōcepta verbis. *An. ab Incarnatione Domini 837. indict. II. fundatum est cœnobium in silua quæ vocatur Deruus, in loco qui dicitur Mansus Corbonis, postea noua cella in pago Tricassine à presbytero quodam Adremaro, existente tunc Tricassina Antistite Adalberto, Comite Aledrāno.*

837.

Cùm verò post paucos annos cœnobij structura perfectæ & absoluta esset, memoratus Arremarus ad summum pontificem perrexit, ab eo suppliciter & obnixè efflagitaturus, ut domicilium illud ad perpetuum Dei honorem cultumque, in religiosam monachorum sedem dedicandum consecrandumque mandaret: qui ipsius pietate concitatus, rescripto suo (ut iam alibi dicere memini) Prudentium Tricassinum Antistitem hortatus est, ut cùm à dicto Adremaro rogaretur, consecrationem inangurationemque dicti cœnobij obiret, quod quidem rescriptum illustrissimus Cardinalis Baronius in annales suos insuit, nos illud inde erutum eius fide proponemus his verbis:

Leo



Leo Episcopus seruus seruorum Dei, reuerendissimo & sanctissimo Prudentio Tricasinæ Episcopo salutem.

Cognoscat prudentia sanctitatis tuæ qualiter hic religiosus Adremarus monachus cum monachis suis cum summa deuotione ad laudem & gloriam S. Trinitatis & remedium animæ suæ, suorumque omnium, in honorem B. Petri Apostolorum Principis, seu & S. Leonis eiusdem vicarij papæ monasterium desiderat consecrare, & situm ac structuram eius S. cœnobij in rebus iuris dicti B. Petri Apostoli, quæ eius verè sunt, fundare ac construere. Quæ res prædictæ Guidani generosissimo Comiti per præceptum pontificale donatæ sunt. Quam ob causam iubemus ac hortamur sanctitatem tuam, vt quando ab illius monasterij prædictis monachis fueris cum humilitate postulatus, illuc accedere debeas, & locum quem vobis significauerit, ipsas illic reliquias supranominatorum sanctorum, quas à nobis accepit, eo tenore & conditione recondas atque consecres, vt semper ac perpetualiter sub iure ac potestate S. nostræ Romanæ Ecclesiæ iā fatum monasterium consistat atque permaneat. Sanctitatem tuam omnipotens Deus incolumem custodiat. Frater, bene vale. Ita Nic.

Camuzatius libro de Antiquitatibus Trecensibus.

(:·:)



*Cœnobia S. Petri de Nigella; S. Sereni de Cantumerula, & B. Maria de Bricolio, in diœcesi Trecensi.*

**S**perabam fore ut quædam documenta nanciscerer, ex quibus originem cœnobijs S. Petri de Nigella abscondita, Ordinis S. Benedicti deprehenderem, necnon & S. de Cantumerula Ordinis S. Augustini, quæ virilis sexus monasteria sunt ac B. Mariæ de Bricolio pariter Ordinis S. Benedicti, quod est puellare cœnobium, sed frustra indagatio in hanc rem à me impensa, sola enim nudaque nomina mihi datur edere. Id vnum dicam, ciuilibus motibus & alijs causis ipsa monasteria nunc pene deserta, neceum numerum religiosorum & monialium in eis esse, qui diuino officio persoluendo satis esse possit. huic verò rei pastoralis cura R. Episcop. Trecens. mederi debet, in idque incumbere, ut Ecclesiæ & septa præfatorum cœnobijs collapsa restaurentur, quandoquidem eius visitationi subiacent. Obseruandum in super festum eiusdem S. Sereni Confessoris in dicto cœnobio de Cantumerula 2. Octob. die celebrari, & ipsius reliquias in Prioratu de Cella Ordinis S. Benedicti semileuca tantum à præfato monasterio distante custodiri. Præterea F. Ioannem Oliuier dicti cœnobijs de Nigella quondam Abbatem, sibi & eis qui in abbatiali cathedra successuri essent à Georgio

orgio



orgio de Ambasia Cardinali in regno Franciæ  
S. Sedis Apostolicæ Legato ius facultatemque  
gerendæ mitræ ceterorumque Pontificalium  
insignium obtinuisse, in quem finem præscri-  
ptæ literæ apud Pontisaram Id. Sept. an. 1509.

## CAPVT XLVI.

*S. Petri consecrati monasterium, vulgò VVeys  
S. Peter, Scotorum extra muros Ratisbo-  
nenses, & S. Iacobi intra muros.*

**M**onasterium hoc dicitur tempore  
Caroli magni inceptum, & in colle  
victoriæ extra muros positum, vbi  
corpora interfectorum sepulta, consecratum  
miraculosè per sanctum Petrum cælitus, iux-  
ta chronicon illius monasterij apocryphum,  
&c. Sed cum iste locus arctior & angustior  
esset, quàm vt tot fratres caperet, ædificatum  
est in agro quodam plano & lato Domini  
Alberti nobilis viri de Midersil in montanis,  
qui residebat in proprijs possessionibus apud  
Phrandenhufen, monasterium Scotorum in  
honorem D. Iacobi; sub Dominico primo  
eius loci Abbate, tempore Erkanfridi Epi-  
scopi Ratisbonensis, & Lotharij Imperato-  
ris, circa annum 845. Ita habent Chronica  
Episcoporum Ratisbonensium.

Verùm Auentinus libro 5. Annalium, ex  
diplomatibus quæ exstant longè aliter, nem-

845.

N 5

pe D.



pe D. Marianum cum socijs, seu Henrico quarto Imperatore, ac Ottone Episcopo Ratisbonam venisse, ab Hemma Abbatissa superioris monasterij hospitio exceptum, postea à Vvilla Abbatissa, quæ Hemma successit, templum D. Petri extra urbem, quod Vveichs vocant, consentiente Ottone Episcopo, impetrasse, Mathildam inferioris monasterij zitum ac ceruissiam tribuisse, ibidem ope piorum domicilia contruxisse, in diem vixisse docendo ac interpretendo sacras literas, scribendo victum, & magnam gloriam acquisivisse, ob eamque rem ab Imperatore Henrico quarto in tutelam receptos, & immunitati donatos esse, iuxta diploma, cuius datum Kalend. Feb. anno 1088. indictione 12. ordinationis Regis XXXVI. Imperij V. Factum in Rognia ciuitate. Idem Auent. in Annalib. suis lib. 6. ita scribit: Vbi Scoti Ratisbonæ propter multitudinem confluentium scotorum, angustius habitare coeperunt, Fridericus Comes de Frontenhausen, Otto Comes Rietenburgensis, Burggravius Ratisbonensis frater eius Henricus, cum uxore Bertha, quæ filia fuit Leopoldi, Austriaci Ducis, Luitgarda, vxor Friderici Comitis de Pogen, Aduocati Ratisbonensis Ecclesiæ, quam alibi Adelhaidam vocat, Gundackerus & Vvernherus de Laber grande monasterium D. Iacobo & Gertrudæ, intra moenia urbis, condunt, Comites de Laber & Rietenburg prædia apud Nariscos tribuunt, illo-

rum



rum ibi monumenta extant. Berchta ibidem sepulta, vineas in Austria donavit, Hartvvicus Episcopus Ratisbonensis templum dedicavit anno 1120. Primus Abbas fuit Mauritius, confirmatur per Calixtum Pontificem Maximum & Imperatorem Henricum quintum; Mauritio successit Christianus. Fabulae igitur sunt, hoc monasterium à Carolo Magno conditum esse, qui ante trecentos annos obierat, &c. Duravit autem S. Petri Ecclesia extra urbem sub suo Priore. Super cuius electione & institutione aliquando lis fuit inter Abbatissam superioris monasterij, & Abbatem S. Iacobi, sopita & transacta per Conradum tertium, Ratisbonensem Episcopum. Extat diploma de anno 1216. usque ad annum Domini 1552. Quo in bello sociali, quod Principum vocant, per Philippum Comitem ab Eberstain, qui Caesaris nomine praesidio militari Ratisbonae praerierat, praedicta Ecclesia S. Petri, quae hostibus propugnaculi vice extra urbem esse poterat, cum omnibus suis aedificijs penitus deiecta & excisa est, constituto ibi publico coemiterio, vulgariter eius Hokater, &c.

Defundatoribus monasteriorum pro Scotis in Germania, praesertim Ratisbonae, Vide eundem Auentinum lib. 6. De qua re etiam duo diplomata extant Henrici quarti, & filij eius Henrici quinti, Imperatorum.

*Einsi-*



*Einsidlense monasterium Vulgo Zum Eynsid-  
lem in D. Canstientiensi.*

860.

**M**onasterium istud non procul à Tiguro  
originem habuit anno Christi 860.  
Sacellum ac cellulam sibi, ibidem ædificante  
S. Megimado Bertholdi Comitis à Sulgovv  
filio.

## CAPVT XLVII.

## FOSVVERDENSE

*Monasterium, sesquimillari à Doccomio, Frisia  
Occidentalis opido, olim situm.*

A. 866.

*Fostā non-  
nulli Fostā  
Deam in-  
terpretan-  
tur.*

**A**nno octingentesimo sexagesimo sex-  
to, Haio Dominus Amalandiæ, ob vo-  
tum Deo factum, in Amalandia mona-  
sterium fundavit, eo loco quo Fostæ templum  
conspiciebatur. Ad quod anno insequenti  
Odilbaldus XII. Episcopus Ultraiectensis,  
petente Haione, pios aliquot monachos Be-  
nedictinos transmisit. Stetit autem mona-  
sterium dicto in loco ducentis quadraginta  
tribus annis, indeque post in Frisiam, certas  
ob causas, à quadam Comitissa est transla-  
tum. *Andreas Cornelius in Frisia Chronicis.*

Porro Comitissa ista, nomine Anna, Do-  
mini Amalandiæ filia, & Adolphi Frenenburgij  
vxoressitit, quæ Fosvverdense monasteri-  
um, ob iniurias piratarum, quibus erat obno-  
xium,



xium, ex Amalandia in Frisiam, anno millesimo centesimo nono, Conrado Ultraiectino Episcopo consentiente, transposuit. Estque templum S. Ioanni Baptistæ ab Episcopo consecratum, & cœnobium istud à loco B. Ioannis baptismate celebri, Bethabora nominatum. *Ista nobis vir eruditus, ac religiosus, ex vetusto quodam Frisæ Chronico, transcripsit.*

An. 1109.

Aliàs Bethania,

*Est autem Amalandia insula Frisæ Occidentali opposita.*

## HÆCMUNDANVM,

*Vulgò Egmondanum, monasterium, sesquimillari ab Alcmaria Hollandiæ opido olim situm.*

**T**heodericus senior ex magno deuotionis adfectu construxit ligneum in Egmondacœnobium, in quo sanctimoniales locauit, quibus vitæ necessaria copiosè tradidit. Ex eo verò collegio quædam puella diuinitus inspirata Theodericum Comitem admonuit sarcophagum beati confessoris Adelberti quantocyùs aperire, & sanctas reliquias ad monasterium puellarum transferre. Et ecce quamprimùm clerus sepulcrum eiusdem almisci Patris aperuit, pallium sanctissimi corporis integrum ab omni labe incorruptum apparuit. Crux etiam aurea supra pectus eius ibidem inuenta est, quæ contra varias ægri- tudines medicina salutaris est. Fons insuper

Theodericus J. Hollandiæ Comes.

liquo.



liquoris limpidi sub ipsius tumba confestim exsiliit, qui usque in præsentem diem copiosius emanavit.

*Theodericus II. Hollandia Comes.*

*Et infra:* Theodericus, post obitum patris sui Theoderici, Frisonibus discordare coepit, quos cum triumphali gladio ditioni suæ subegit. Quapropter idem Comes ædificavit lapideum in Egmonda monasterium, & amonistimonialibus, plantavit ibidem de religione S. Benedicti monachorum collegium, qui continuè Deo deuotum obsequium impenderent, & cum opus esset diris Frisonum insultibus obsisterent. His ergò Comes, Egmondensem Ecclesiam largis dotando possessionibus, obtulit Historiam tripartitam, & textum quattuor Euangelistarum auro fuluo, pretiosisque lapidibus circumtectum. Nihilominus Hildegundis Comitissa consimiliter obtulit eidem Ecclesiæ de liberali munificentia super altare \* torquem aureum, cum multimodis gemmis incomparabilis pretij valde fulgidum, de cuius cacumine lapis, ut fertur, \* hostularius furtivè sublatus fuit, qui nocturnis temporibus totum sacrarium radijs emicantibus illustravit. Ita Joannes Becanus in *manuscripto Ultraiectione Ecclesiæ Chronico.*

\* In MS. habetur. tum forè tomum. \* ostulanus, vel ostratus.

*Eadem tradit Ioannes Leidenfis, in manuscripto suo Hollandiæ Chronico, additq, Theodericum Iuniorem Comitem collocasse sanctimoniales Egmondanas non longè ab opido Harlemensi, prope villam Hirmste, in loco qui dicitur Bonnenbroec, & prohibuisse,*  
ne de



ne de cetero sanctimonialies adsumeretur aut inuestirentur, vt sic tandem, deficientibus personis, vita illarum ad finem deduceretur, & reditus ad monasterium Egmondense redirent.

## CAPVT XLVIII.

*Metense monasterium, vulgò Meten, in Ba-  
uaria.*

**S**itum id est non procul à *Deckendorf* & Danubio, fundatum à Carolo Magno an. 882. vt vult Auentinus. Fuit primò Canonicorum, quos Henricus Pius, Dux Austriæ & Bauariæ Amōst & *Phaffenmunster* apud Straubingum collocauit, Benedictinis monachis substitutis, anno 1155. vel 1156. Ita Hundius.

## CAPVT XLIX.

*Monasterium Regium S. Benedicti, prope opidum de Sahagun, Vulgò de S. Benito & Real de Sagagun.*

**D**otatum atq; instauratum est hoc monasterium Sagaguntinum veteribus Cenonense per Regem Alfonsum cognomento Magnum eiusque uxorem Ximēnam.



405.

nam. Era 943. hoc est anno Christi 905. Postea  
 verò instauratum per Alfonsum V I. & Con-  
 stantiam eius coniugem, in honorem SSi  
 Martyrum Facundi & Primitiui, quorum  
 corpora ibidem quiescunt. Hoc monasterium  
 Alfonsus V I. Legionensis Rex submisit Ab-  
 batia Cluniacensi an. Domini 1090. Hugonē  
 Abbate Cluniacensi, cum ipso Rege in ci-  
 uitate Durris agente. Vt constat ex diploma-  
 te, quod Sandouallius recitat parte prima  
 foundationum monasteriorum Benedictino-  
 rum in Hispania. Huius Alfonsi Regis memi-  
 nit Petrus Cluniacensis: Non parum imò ma-  
 ximè veritati huius visionis attestatur, quod à  
 mortuo dictum est, Alfonsum Regem à Clunia-  
 censibus monachis sublatum & à tormentis con-  
 similium reorum ereptum. Nam quod omnibus  
 penè Hispanis & Gallis populis notum est, idem  
 Rex Cluniacensis Ecclesie magnus amicus & be-  
 nefactor extitit, vt enim innumera alia piete-  
 tis opera eidem monasterio ab eo impensatace-  
 am, magnificentissimus & famosus Rex censua-  
 lense, regnumq; suum Christi pauperibus eiu-  
 sdem Christi amore fecerat; & tam à se qui à  
 patre suo Ferdinando, constitutum censum du-  
 centas scilicet & quadraginta auri vncias sin-  
 gulis annis, Cluniacensi Ecclesie persoluebat.  
 Præter hæc duo monasteria in Hispanijs ex pro-  
 prio construxit, alia à quibusdam alijs personis  
 construi permisit, & vbi construerentur adiu-  
 uit; in



uit; in quibus Cluniacenses monachos ponens & unde omnipotenti Deo regulariter seruire possent, Regia liberalitate affluenter arguens, & penè emortuum monasticæ religionis feruorem ex parte in Hispanijs reportauit, & sibi, hoc studio, post regnum temporale, regnum etiam sempiternum, uti dignum est crepere, comparauit. Obtemperauit benignus Regis æterni præcepto, faciens sibi amicos de mamona iniquitatis, à quibus amicis, finit à regni villicatione secundum iam dictum visionis tenorem, & à pœnis ereptus, & in æterna tabernacula susceptus est.

In hoc suo monasterio conditus est Alfonsus VI. Rex.

Ceterum illustre hoc Abbatiale monasterium fuit occasio, cur opidum de Sahagun fuerit mirifice auctum atque amplificatum.

S. Attilanus Numantiæ seu Zamoræ Episcopus, huius loci olim Monachus, fuit ab Urbano II. anno 1080. in numerum Sanctorum relatus. Vitam eius scripsit Lobera. Sunt qui dicant S. Froylanum Episcopum Legionensem eiusdem coenobij olim monachum fuisse.

S. Aluitus siue Aloitus Episcopus Legionensis & S. Ordonius Episcopus Asturicensis, monachi hoc in loco haud dubiè fuerunt.

Huic illustri Abbatia annexi sunt Prioratus non pauci: Monasterium S. Mariæ de Piasca, fundatum à Comite Roderico Gongal-



les, a quo Comite illustrissima familia Girorum genus suum ducit.

Monasterium S. Bartholomei de Medina del Campo: Cuius loci Prior gaudet titulo Abbat. In eo loco visitur imago Christi crucifixi, & frequentatur magna cum deuotione populi. Monasterium S. Mancij qui fuit discipulus Christi vt traditur, & ibidem quiescit.

Monasterium S. Saluatoris de Nogal olim Abbatia nunc Prioratus. Fundatrix fuit illustris matrona Eluira Sanchez Era 1001. Ex hoc monasterio Nogalensi assumpti sunt primi monachi ad fundandum monasterium Ordinis S. Benedicti in vrbe Vallisoletana petente Ioanne illius nominis primo Rege, & mittente Ioanne Abbate de Sagagun. Vallisoletanum istud monasterium nunc est caput totius congregationis reformatæ in regno Castellæ. Ita Prudentius Sandouallius prima parte foundationum monasteriorum Benedictinorum in Hispania.

## CAPVT L.

Cluniacensis ordo & monasterium, in d. Matisconensi.

**D**E Abbatia Cluniacensis origine sic legitur in Chronico Cluniacensi: Monasterij Cluniacensis primus fundator fuit Guarinus alias Gerinus, Comes Cabilonensis & Matisconensis, regnante Ludouico Pio Caroli Ma-

gnus-



gni filio circiter annum 820. quod postea ab Hun-  
garis deuastatum, à Guilielmo Aquitonia Duce  
restauratum fuit. Aiunt autem istam Guiliel-  
mi foundationem siue instaurationem toto  
orbe celeberrimam, factam fuisse anno 610.  
ipsumque in illo suo monasterio Bernonem  
primum Cœnobiarcham locasse; postea  
Guilielmum obiisse anno 918, sepultum-  
que in Basilica S. Iuliani Biturigibus. Fa-  
cillimè verò quisque sibi persuasum habe-  
bit Guarinum illic commemoratum eundem  
esse qui Vvarinus à Genebrardo in Chronico  
dicitur: & is certè annis centum Ducem A-  
quitanicum præcessit. Addunt autem Petrum  
Venerabilem creatum Abbatem nonum an.  
1122. ætatis suæ anno 28. & defunctum esse  
anno 1157. Ceterum veteres ordine Abbates;  
si numerantur. Primus legitur *Berno*, secundus  
S. *Odo*; ille sub annum 895. hic ab anno 913.  
tertius *Adamarus* ab anno 938. quartus S. *Ma-  
iolus*, & quintus S. *Odilo* ad annum 993. per  
annos 56. sextus S. *Hugo* ex familia Princi-  
pum Belliocensium anno 1109. septimus *Pon-  
tius*; octauus Hugo 11. nonus Petrus  
Venerabilis: decimus Hugo

III. &amp;c.

{:o:}





Testamentum Guilielmi cognomento P<sup>y</sup>, Ar-  
uernorum Comit<sup>is</sup> & Ducis Aquitanorum,  
quem monasterij Cluniacensis fundatorem,  
aliij instauratorem fuisse volunt, anno 910.

910.

**C**unctis sanè considerantibus liquet,  
quod ita Dei dispensatio quibusque di-  
uitibus consulit, vt ex rebus quæ transitorie  
possidentur; si eis bene vtantur, semper man-  
sura valeant præmia promereri. Quod vide-  
licet diuinus sermō possibile ostendens, at-  
que ad hoc omnino suadens dicit: *Diuitia vi-  
ri, redemptio animæ eius.*

Prou. 13.

Quod ego *VVilhelmus* dono Dei Comes &  
Dux sollicitè perpendens, ac propriæ saluti,  
dum licitum est prouidere cupiens, ratum,  
immo pernecessarium duxi, vt ex rebus quæ  
mihi temporaliter collatæ sunt, ad emolu-  
mentum animæ meæ aliquantulum impar-  
tiar: quippe qui adeo in his videor excreuis-  
se, ne fortassis totum ad curam corporis in  
supremo redarguar expendisse, quin potius  
cum suprema sors cuncta rapuerit, quiddam  
mihi gaudeam reseruasse.

Luce 16.

Quæ scilicet causa nulla specie vel modo  
congruentius posse fieri videtur, nisi vt iuxta  
Domini præceptum, *Amicos mihi faciam pau-  
peres eius*: vtque huiusmodi actio non ad tem-  
pus, sed continuò peragatur, monastica pro-  
fessione congregatos ex proprijs sumptibus  
sustentem; ea siquidem fide, ea spe, vt quam-  
uis ipse cuncta contemnere nequeam, tamen

dum



dum mundi contemptores, quos iustos credo, susceperim, *Iustorum mercedem accipiam.*

Igitur omnibus in vnitatem fidei viuentibus Christi que misericordiam postulantibus, qui *Matth. 10.* sibi successuri sunt, & vsque ad sæculi consummationem victuri notum sit. Quod ob amorem Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi; res iuris mei, SS. Apostolis Petro, videlicet & Paulo de propria trado donatione, *Cluniacam*, scilicet villam, quæ sita est super fluuium qui *Granna* vocatur, cum cortile & manso indominicato, & capella quæ est in honore Sanctæ Dei Genitricis Mariæ & S. Petri Apostolorum Principis, cum omnibus rebus ad ipsam villam pertinentibus, villis siquidem capellis, mancipijs vtriusque sexus, vineis, pratis, campis, siluis, aquis, aquarumue decursibus, farmarijs, exitibus, & regressibus, cultum & incultum cū omni integritate, quæ etiam res sunt sitæ in Comitatu Matisconensi, vel circa, suis vnaquæque terminis conclusæ.

Dono autem hæc omnia iam dictis Apostolis ego *Vilhelmus* & vxor mea *Ingelberga*, primum pro amore Dei, deinde pro anima senioris mei Odonis progenitoris, ac genitricis meæ, pro me & vxore mea, salute scilicet animarum nostrarum & corporum: pro *Auacez* nihilominus quæ mihi easdem res testamentario iure concessit. Pro animabus quoque fratrum ac Sororum nostrarum, nepotumque, atque omnium vtriusque sexus propinquorum, pro fidelibus nostris, qui nostro



seruitio adhærent; pro statu etiam ac integritate Catholicæ religionis. Postremò verò, sicut omnes Christiani vnus compage charitatis ac fidei tenemur: ita pro cunctis, præteritorum scilicet, præsentium siue futuro rû tēporum Orthodoxis, hæc donatio fiat.

Eo siquidem dono, tenore, vt in *Cluniaco*, in honore SS. Apostolorum Petri & Pauli monasterium Regulare construatur, ibique monachi iuxta regulam beati *Benedicti* viuentes congregentur, qui ipsas res perenni tempore possideant, teneant, habeant atque ordinent: ita duntaxat vbi venerabile orationis domicilium votis ac supplicationibus frequententur, conuersatioque cælestis omni desiderio & ardore intimo perquiratur & expetatur, sedulæ quoque orationes, postulationes, atque obsecrationes Domino dirigantur tam pro me, quàm pro omnibus, sicut eorum memoria superius digesta est. Præcipimus siquidem vt maximè illis sit hæc nostra donatio ad perpetuum refugium: qui pauperes de sæculo egressi, nihil secum præter bonam voluntatem attulerint, vt nostrum supplementum fiat abundantia illorum, sintque ipsi monachi cum omnibus præscriptis rebus sub potestate & dominatione Bernonis Abbatis, qui quamdiu vixerit, secundum suum scire & posse eis regulariter præsideat: post discessum verò eius, habeant iidem monachi potestatem & licentiam quamcumque sui ordinis, secundum placitum Dei atque re-

gulam



gulam S. benedicti promulgatam, eligere maluerint Abbatem atque Rectorem, ita ut nec nostra, nec alicuius potestatis contradictione contra religiosam dumtaxat electionem impediatur.

Per quinquennium autem Romæ ad limina Apostolorum, ad luminaria ipsorum continuanda, decem solidos præfati monachi persoluant habeantque tuitionem ipsorum Apostolorum, atque Romani Pontificis defensionem, & ipsi monachi corde & animo pleno prælibatum locum pro posse & nosse suo ædificent.

Volumus etiam ut nostris successorumque nostrorum temporibus, pro ut opportunitas atque possibilitas eiusdem loci sese dederit: quotidie misericordie opera pauperibus, indigentibus, aduenis, peregrinantibus, summa intentione exhibeantur.

Placuit etiam huic testamento inferi, ut ab hac die, nec nostro, nec parentum nostrorum, nec fastibus regie magnitudinis, nec cuiuslibet terrenæ potestatis iugo subiiciantur iidem monachi ibi congregati: neque aliquis Principum sæcularium, non Comes quisquam, nec Episcopus quilibet, non Pontifex supradictæ sedis Romanæ, Per Deum, & in Deum, omnesque sanctos eius, & tremendi iudicii die contestor, deprecor, ne inuadat res ipsorum Dei seruorum, non distrahat, non minuat, non procannet, non beneficiet alicui, non aliquem Prælatum super eos, contra eorum voluntatem constituat.



Et ut hoc nefas omnibus temerarijs ac improbis arctius inhibeat, adhuc idem inculcans subiungo, Et obsecro vos & sancti Apostoli, & gloriosi Princeps terræ, Petre & Paule, & te Pontifex Pontificum Apostolicæ Sedis, ut per auctoritatem canonicam & Apostolicam quam à Deo accepisti, alienes à consortio sanctæ Dei Ecclesiæ & sempiternæ vitæ prædones & inuasores, atque distractores harum rerum, quas vobis hilari mente promptaq; voluntate dono, Sitisq; tutores ac defensores iam dicti loci Cluniacensis, & servorum Dei ibi comorantium ac comanentium.

Harum quoque omnium facultatum propter eleemosynam & clementiam, ac misericordiam pijsimi Redemptoris nostri, si quis fortè, quod absit, & quod per Dei misericordiam & patrocinia Apostolorum evenire non æstimo, vel ex propinquis aut extraneis, vel ex qualibet conditione siue potestate, qualicumque calliditate contra hoc testamentum, quod pro Dei amore omnipotentis, ac veneratione Principum Petri & Pauli fieri, sanctiui, aliquam concussionem inferre tentauerit, primum quidem iram Dei omnipotentis incurrat, auferatque Deus partem illius de terra viventium, & deleat nomen eius de libro vitæ, fiatque pars illius qui dixerunt Domino Deo, Recede à nobis, & cum Dathan & Abiron, quos terra aperto ore deglutiuit & viuos infernus absorbuit, perennem incurrat damnationem. Socius quoque

*Apo. 22. 3.*

*Iob.*

*Num. 16.*

*Iudz*



Iudæ Domini proditoris effectus, æternis cruciatibus retrusus teneatur. Et ne ei in presenti sæculo humanis oculis impunè transire videatur, in corpore quidem proprio futuræ damnationis tormenta experiatur, sortitus duplicem direptionem cum *Heliodoro* & *Antiocho*, quorum alter acris verberibus coercitus, vix seminiuſe euasit: alter verò nutu superno percussus, putrescentibus membris, & scatentibus vermibus, miserri-  
mè interiit. Ceterisque sacrilegis qui ærarium domus Domini temerariè præsumserunt, particeps existat, habeatque, nisi resipuerit Archiclauum totius Monarchiæ Ecclesiarum, iuncto sibi S. Paulo, obstitorem, & amœni paradisi contradictorem; quos si vellet, habere poterat pro se pijsſimos intercessores. Secundum mundialam verò legem, his quibus intulerit calumniam, centum auri libras cogente iudicaria potestate compulsus exoluat, & congressio illius frustrata, nullum omnino obtineat effectum, sed huius firmitas testamenti omni auctoritate suffulta, semper inuiolata & inconcussa permaneat, cū stipulatione subnixa. Actum Bituricæ ciuitatis, Publicè. *Guilielmus*. Ego hanc authoritatem fieri, & firmari rogavi, ac manu propria roboravi. Signum *Ingelbertæ* vxoris eius. *Madalbertus* peccator, Bituricēsis Archiepiscopus.

Anno vndecimo regnante *Carolo* Rege, Indictione XIII. ego *Oddo* Levita, ad vicem Cancellarij scripsi & subscripsi.

*Mach. l. 1.  
ap. 9.*



Ceterum Guilielmus Paradinus Annal. Burgund. lib. 1. negat hunc Aquitaniae Ducem Cluniacensis conuentus prima iecisse fundamenta, verum Matisconensem quemdam Comitem Vveranum seu Vvarinum, qui an. 884. permutatis cum Hildebaldo Matisconensi Praefule toparchijs suis *de Cotte*, & *de Genoilij*, à dicto Antistite, Cluniacensi villa reciproca compensatione recepta monasticoque coenobio eo loci, SS. Petri & Pauli Apostolorum memoriae constructo, dictus Hildebal- dus consecrasset, anno imperij Ludouici Pij. 13. & reparatae salutis 828. Ideoque hallucinari eos maximè qui Bernonem à Burgundia Gigniacensem Abbatem, vel dictum Vvillum ipsius fundatores primos asserunt.

*Catalogus Abbatiarum & Prioratum, congregationis Cluniacensis.*

### ABBATIAE.

- A**bbatia Cluniacensis.  
 Abbatia Moijssiacensis, apud Aruernos.  
 Abbatia Figiacensis, in Argonia, regni Galliae prouincia.  
 Abbatia Lozacensis, ibidem.  
 Abbatia Balmenfis, ibidem.  
 Abbatia Monasterij noui, Augustoriti Pictorum. (annem.  
 Abbatia D. Benedicti ad Eridanum Italiae  
 Abbatia Thierni apud Aruernos.  
 Abbatia Belliloci in Argonia.  
 Abbatia de Pasleto in Anglia.  
 Abbatia de Cosraquel, in Scotia.

Abba-



Abbatia paterniaci

Abbatia Varinensis in Germania.

Abbatia Amillani, fortè S. AEmiliani, in Hispania.

Abbatia campi-Rotundi.

Abbatia S. Rigaldi, in d. Matisconensi.

### PRIORATVS.

**P**rioratus de caritate.

Prioratus S. Pancratij, in Anglia.

Prioratus S. Martini de campis, Parisijs.

Prioratus Saluiniaci, apud Borbonios.

Prioratus Celsiniarum, vel Selceniarum, in Aruernia.

Prioratus Marcigniaci.

Prioratus de Gigniaco.

Prioratus de Cariloco.

Prioratus S. Saturnini de Portu.

Prioratus B. Mariæ de Nazareto, in Hispania.

Prioratus Mantuaci.

Prioratus S. Marcelli Cabilonensis.

Decanatus de Vergeyo.

Prioratus de Coinciaco.

Decanatus de Lehuno vel Letzuno in sanguine terfo.

Prioratus S. Petri, Abbatis-villæ, in Picardia.

Prioratus S. Lupi de Afferento.

Prioratus S. Arnulphi de Crespeyo, in ducatu Valesiæ. Vide supra cap. 26.

Prioratus Valencenarum, fortè designatur.

Prioratus S. Saluij apud Valencenas seu Valentianas Hānoniæ urbē. De quo vide c. 43.

Prioratus de Volta.

*Vide cap. 5.  
de Electio-  
ne, VI. de  
cretalium.*

Prio-



Prioratus Romani monasterij.  
 Prioratus S. Orientij.  
 Prioratus B. Mariæ deauratæ  
 Decanatus de Gaya.  
 Prioratus de longo Ponte.  
 Prioratus de Vallibus, supra Polligniacum  
 Prioratus de Riuis.  
 Prioratus S. Iacobi de Pontida, in Italia.  
 Prioratus de Lentona, in Scotia, alijs de La-  
 thona, in Anglia.  
 Prioratus Montis-acuti, in eadem insula.  
 Prioratus de Longa-villa.  
 Prioratus de Rodolio.  
 Prioratus de Gornayo.  
 Prioratus S. Milburgis,  
 Prioratus de Arantona, } in Anglia  
 Prioratus de Ponte-fracto, }  
 Prioratus de Catelereo.  
 Prioratus de Amberta.  
 Prioratus de Nogento Rotrodi, Vide cap. 26.  
 supra.  
 Prioratus S. Margaretæ de Helincuria.  
 Prioratus. S. Stephani Niuernensis.  
 Prioratus S. Reneriani.  
 Prioratus de Prato.  
 Prioratus de Nantholio Baaduini.  
 Prioratus Montis-desiderij.  
 Prioratus Aregrandis.  
 Prioratus de Rampone.  
 Prioratus S. Marcelli Dienfis.  
 Prioratus Ganagobiæ. (Auenionensi.  
 Prioratus de lallifoco, vnitus cum collegio

Prio-



Prioratus de Tornaco.

Prioratus de Contamina.

Prioratus de Domena.

Prioratus S. Butropij Sanctonensis.

Prioratus Insulæ Aquensis.

Prioratus de Barbifolio, seu Barbifilio.

Prioratus S. Albani Basiliensis.

Prioratus pe Alezaco.

Decanatus de Paredo, mensæ Cluniacensis  
Abbatis connexus.

Prioratus de Medicino.

Prioratus S. Margaretæ de Mergerijs, in Cam-  
pania.

Prioratus S. Marcelli de Sangeto.

Decanatus de Roncenaco.

Decanatus de Carnaco.

Prioratus de Sezana.

Prioratus S. Mariæ Senonensis. } sub Carita-  
tis mona-  
sterio.

Prioratus S. Nicolai Siluanectensis. } sub S.

Prioratus de Capy. } Marti-

Prioratus de Encra siue Ancra. } ni mo-  
naste.

Prioratus S. Martini de Luperciaco Burgo,  
apud Niueodunum ad Ligerim.

De his vide plura in Historia Martiniana  
seu monasterij S. Martini de Campis, Parisijs  
an. 1600 edita, & apud Choppinum lib. 2. Mo-  
nasticum, tit. 1. §. 6.

Sunt & Prioratus aliquot monialium con-  
gregationis Cluniacensis, vt Marcigniacus  
diocesis Matisconensis, Victorianus D. Leo-  
gicalis,



dienfis, Sallesius d. Lugd. Croperius & S. Sepulchri d. Auernensis. De Marigniaco expressè ait Petrus Venerabilis lib. 3. Epist. 2.

## CAPVT LI.

## S. GERARDI BRONIENSE

*Cœnobium, tertio milliari à Namurco, opido ad Mosam fl. sito, in Belgio.*

*S. Gerardus  
quiescit  
Bronij.*

*An. 913. v.  
habet M. S.  
Chronici Si-  
gebertini  
exemplar  
Lipsianum.*

**P**ipinum secundum, cognomento Herstalium Broniensi in tractu oratorium, seu sacellum ædificasse, illudq; S. Lambertū Tugrensem Episcopum dedicasse, tradunt. Hoc prædium Broniense, cum adiacentibus, à maioribus acceptum, possidebat vir Dei Gerardus, nobilissimā Austrasiorum familiā natus. Is iussu SS. Apostolorum Petri & Paulli, illo in loco cœnobium ædificauit, in quo clericorum sodalitatem instituit, qui more Canonico illic viuerent.

*Talis relligio præcessit tempore primo,  
Donec dante Deo, monachorum inducitur ordo,  
Rebus & officio longè præclarior illo.*

At postea Gerardus in Galliam profectus, in S. Dionysij cœnobio apud Parisios, monasticum vitæ genus est amplexus. Annis hinc nouem monasticis disciplinis egregiè instructus cum parte reliquiarum S. Eugenij Tole-

rani



tani Episcopi & martyris Bronium redijt, & clericis amotis monachos substituit, eisdemque primus Abbas præfuit. Post ad S. Gisleni Cellense cœnobium reformandum, à Gisberto Lotharingæ Duce, euocatus, clericis ob vitam liberiorē amotis, monachos substituit. Inde in Flandriam ab Arnulfo Comite inuitatus, Blandinienſe, Bertinenſe, Marchianenſe, aliaque monasteria reformauit, vt octodecim in Flandria monasteriorum rector, ac reformatore esse meruerit. Omnibus denique ritè compositis, Bronium redijt, & piè in Christo obdormiuit.

*Hac ex vita Sancti Gerardi fundatoris Broniensis, à monacho eius loci ad Gonterum Abbatem scripta, desumſimus.*

*S. Gerardi obitum Sigebertus in Chronico refert ad annum nongentesimum quinquagesimum nonum: marmorei tamen sepulcri eius inscriptio notat annum nongentesimum quinquagesimum octauum.*

*Broniense porro monasterium Pius IIII. Pont. Max. & Philippus II. Hispaniarum Rex, Belgarumq; Princeps, Episcopatu Na-murcensi, recens tum iustituto, annexuerunt.*



DIPLO-

*Meyerus in  
Annal. Flā  
dria ad an.  
940.*

*Exstat apud  
Suriū To. 5.*



# DIPLOMA STEPHANI PAPAE.



*In Bronio  
quiescit  
pars corpo-  
ris S. Euge-  
nij Episcopi  
Toletani.  
Vide Mola-  
ni Natales  
SS. Belgij.*

In nomine Sanctæ & indiuiduæ  
Trinitatis, & S. Mariæ semper  
virginis. Stephanus Sedis Apo-  
stolicæ summus Episcopus, ser-  
uus seruorum Dei, fratribus ac  
hijis nostris per vniuersum orbem terrarum  
in fide Catholica degentibus. Notum cupi-  
mus esse omnibus tam præsentibus, quam fu-  
turis, qualiter filius ac frater voster, diuinâ  
annuente clementiâ Gerardus, Abbas nobis  
innotuit de monasterio Bronienfi, quod in  
melius reformauit & restaurauit in honore  
sanctæ Dei genitricis semper virginis Mariæ,  
sanctorumque Apostolorum Petri & Pauli,  
& sancti Ioannis Baptistæ. Post verò multo-  
rum sanctorum pignora, congregauit corpus  
etiam sancti Eugenij martyris, Archiepisco-  
pi Toletanæ sedis, discipuli & ordinati san-  
cti Dionisij Archiepiscopi, cum magna reue-  
rentia & honore inibi attulit, hereditatem  
quoque propriam tam in agris, quam manci-  
pijs, & in omnibus iure hereditario adiacen-  
tibus deuotè ac voluntariè ad præfatum de-  
dit monasterium. Postquam autem nobis hoc  
indicauit, prouolutus pedibus nostris petijt,  
qua



quatenus auctoritate Apostolorum Petri & Pauli malediceretur omnis, qui de eodem monasterio aliquid conaretur, tam de reliquijs Sanctorum, quam de vestimentis & libris & de territorijs auferre, atque de mancipijs, vel de alijs quibuscumque rebus, quas nunc habet sibi datas, vel vltra possit Dei misericordiam obtinere. Hoc quoque magnopere expetit, vt eodem cōstringatur anathemate, quicumque priuilegium, quod de eodem loco & monasterio iam regia magnificentia & imperialis sanxerat auctoritas, aliquatenus presummeret infringere: scilicet vt nullus Episcopus, nullus Comes, nullus Aduocatus, nullus Iudex publicus, nec quilibet ex iudiciaria potestate, in Ecclesias aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones memorati monasterij præsumat ingredi, aut ad causas audiendas, aut precaturas faciendas, aut freda vel tributa aut obsonia quælibet exigenda, vel mansiones, aut siluas, vel paradas faciendas, aut fideiussore tollendos, aut homines eiusdem monasterij, tam ingenuos, quam seruos super terram ipsius commanentes iniuste distringendos, nec ad vllas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas nostris & futuris temporibus. Sed liceat memorato Dei seruo Gerardo, suisque successoribus res prædicti monasterij, cum monachis suis, sub immunitatis nostræ defensione, quieto ordine possidere & ordinare absque cuiuslibet arbitri communione, nisi ipso Abbate, & suis

P

mona-



monachis id rationabiliter fieri petentibus. Hoc quoque firmare expetijt nihilominus, ut eadem damnetur maledictione, quicumque locum ipsum, & loci incolas infra suos terminos hostili incendio vel cæde aut aliqua iniusta oppressione præsumserit aliquatenus depopulari, vel infringere. Adstantibus igitur Episcopis, & confratribus huius sanctæ Romanæ Sedis, & consentientibus, petitione famuli Dei Gerardi Apostolicæ auctoritate firmari decreuimus. Igitur auctoritate Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & sanctę Marię semper Virginis Dei genetricis, & omnium cælestium virtutum, & sancti Ioannis Baptistę, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quorum vices licet indigni tenemus, & sancti Eugenij martyris, eiusdem loci patroni & prouisoris, & Sanctorum, quorum reliquię inibi sunt, simulq; omnium Sanctorum, quorum nomina scripta sunt in libro vitę, excommunicamus, anathematizamus, damnamus omnes, qui horum quidpiam, quę de immunitate & libertate Broniensis Ecclesię & loci prælibata sunt, irritum fecerint vel infregerint, nisi resipuerint & poenituerint, & ab Abbate & fratribus eius veniam promeruerint, & de cetero emendauerint. At verò qui obseruator existiterit huius nostrę præceptionis, & regię sanctionis, gratiam & misericordiam, vitamque æternam à misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur. Ego Castorius Notarius regionarius,

Scri-



Scriniarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, corroborante Apostolicâ auctoritate, & sancto Papa Stephano suggerente, recognoui. Data V. Kal. Maij anno ab incarnatione D. CCCC. XIII. regnante Henrico in regno Lotharij, imperante in Italia Hugone, anno II. Indictione VI. Actum Romæ feliciter, Amen.

## GEMBLACENSE

*Monasterium, in Brabantia, inter Bruxellam  
& Namurcum.*

**G**emblacum, veteribus Gemmelacum, per-  
uetustum est Brabantia opidum, olim Leo-  
dicensis, hodie Namurcensis diœcesis, Louanio &  
Bruxella miliaribus sex, Namurco tribus disti-  
tum. Intra opidi mœnia nobilissimum est cœno-  
bium, à sancto Guiberto, (quem Romani Mar-  
tyrologij tabula Gilbertum nuncupant) exstru-  
ctum, ac dotatum. Fuit is ex antiqua Regum  
Austrasie prosapia, qui militia secularis cingulo  
deposito, castrum suum Gemmelaus, siue Gem-  
blacum, cum omnibus appendentibus, Erluino vi-  
ropio hortante, Deo & Apostolorum Principi B.  
Petro obtulit. in eoq; cœnobium suo ære exadifi-  
cavit, Erluino eodem primo Abbate constituto,  
Meminit huius nobilissimæ foundationis Platina  
in Stephano VII. Annum verò erectionis indicat  
hoc distichon, quod hodieq; in Gemblacensis cœ-  
nobij basilica parieti inscriptum legitur:

*S: Guiber-  
tus quiescit  
Gemblaci.*

*Febr. 4.*



An. 921.

An. 961.

An. 1116

An. 1112.

An. 291.

An. 948.

Vnum D. scribis, C. quatuor X. bis & I. bis,  
 Dū claustrum per te fit Gemblacēse Guiberte.  
*Ceterum Guibertus, in Gorziensi iuxta Metas*  
*Lotharingie urbem cœnobio celeberrimo, X. Kal.*  
*Iuni, anno nongentesimo sexagesimo secundo in*  
*Domino obdormiuit; inde mox Gemblacū trans-*  
*latus, atq; è terra eleuatus IX. Kal. Octobris, anno*  
*millesimo centesimo decimo, procurante id Sige-*  
*berto Gemblacensi Chronographo. Est autem*  
*Gemblacense monasterium, hodièq; cum ob an-*  
*tiquitatem, tum ob insignem codicum omnis ge-*  
*neris manuscriptorum bibliothecam, admodum*  
*celebre: gaudetq; Abbas eius loci titulo Comitis*  
*Et merito primum inter proceres seculares, in co-*  
*mitijs Ordinum Brabantie, locum obtinet. Hoc*  
*in cœnobio vixit, obiitq; anno millesimo centesi-*  
*mo duodecimo, Sigebertus monachus, inde Gem-*  
*blacensis dictus, cuius Chronicon exstat nomina-*  
*tissimum; ex quo libet apponere quæ de sui mona-*  
*sterij origine atq; Abbatibus is refert: Anno non-*  
*gentesimo vigesimo primo, clarebat inter no-*  
*biles Lotharingie, sanctus Pater Guibertus,*  
*qui nostrum Gemmelacense cœnobium fun-*  
*dauit, qui diuitijs, nobilitate, & potentia cla-*  
*rus, cingulum mundanæ militiæ deponens,*  
*cingulo sanctæ religionis in monachico ha-*  
*bitu se accinxit. An. nongentesimo quadrage-*  
*simo octauo immunitas nostræ Gēmelacensis*  
*Ecclesiæ imperiali Othonis confirmatur edi-*  
*cto, & anuli impressione corroboratur. Erlu-*  
 inus



inus primus eius loci Abbas, à Petre nostro Guicberto electus, in sanctitate & religionis feruore claret. Anno nongentesimo quinquagesimo quarto, immunitas nostræ Gemmelacensis Ecclesiæ etiam Apostolica auctoritate à Benedicto Papa coroboratur, anno septimo Pontificij eius. Anno nongentesimo quinquagesimo octauo Erluinus primus Abbas Gemmelacensis à quibusdam contrarijs sanctæ religioni lumine oculorum priuatur. Anno nongentesimo sexagesimo secundo sanctus Pater noster Guicbertus, fundator nostri Gemmelacensis cœnobij, apud Gorziam, ubi Deo militabat, propter amorem feruentis ibi sanctæ religionis, in Christo dormiuit, & quæ omnia reliquerat, centuplum & vitam æternam recepit. Corpus verò eius relatum est ad cœnobiũ Gemmelacense an. nongentesimo octuagesimo septimo, Erluinus primus longo in longa cæcitæte martyrio cruciatus, moritur. Succedit Heriuuardus. Anno nongentesimo nonagesimo primo obiit Heriuuardus Abbas. Succedit Erluinus Iunior. Anno millesimo duodecimo Abbas Erluinus Iunior obiit. Olbertus Gemmelacensis Ecclesiæ ordinatur Abbas, vir moribus, religione, bonis doctisque viris aut conferendus aut præferendus. Anno millesimo quadragesimo octauo, in Christo dormit Olbertus sanctæ memoriæ Abbas Gemmelacensis. Abbati Olberto succedit Mijsac. Anno millesimo septuagesimo secundo obiit Abbas Mijsac

An. 954.

An. 958.

An. 962.

An. 987.

An. 991.

De olbert  
vide infra.ap. 32 Anno  
1040.

An. 1072.

P 3

succe-



An. 1208.

Accedit Tietmarus: & sic ex ordine ceteri.  
 Hactenus ex Sigeberti Gemblacensis Chronico.  
 Ceterum præter Olbertum & Sigebertum, fuere  
 & scriptis illustres Lambertus & Guibertus Ab-  
 bates Gemblacenses, quorum prior Appendicem  
 ad Sigeberti Chronicon breui à nobis edendam,  
 alter multa de S. Martino Turonensi Episcopo,  
 itidem inedita, conscripsit, obiitq; anno salutis  
 millesimo ducentesimo octauo.

An. 1153.

Porro Gemblacenses olim Abbates eudenda  
 monetæ eius habuerunt: è quorum numero Arnul-  
 fus Abbas anno millesimo centesimo quinquage-  
 simo tertio, opidum muris & fossa munivit: Ar-  
 noldus verò Abbas, anno millesimo quingentesimo  
 tertio, cœnobium suum Capitulo vt vocant,  
 Bursfeldensi submisit.

An. 1503.

Gemblacum omnibus suspiciendum reddunt  
 corpora SS. Martyrum Exuperij & Marij, S.  
 Maclouii Episcopi, S. Guiberti fundatoris, vnius  
 item virginis & martyris ex parthenio S. Ursula  
 sodalitie, & alterius martyris ex illustri S.

Gereonis collegio. De quibus Mola-  
 num consule in Natalibus  
 Sanctorum Belgij.

{:o:}



CAP.



## CAPVT LII.

*Rassonis Comit'is Diessens' monasterium, vulgò  
zu S. Grafrath.*

**A**Nno 904. Rasso Comes ex Andecensi familia, Dux boiarici regni limitis Orientalis, vir nobilis & strenuus, cœnobium in honore Saluatoris omnium Vverde, iuxta Amperam construxit, in pede sui castri Razenberge, & illic monachos collocavit: quod etiam S. Vdalricus Episcopus consecrauit. In hac Ecclesia Comes iste functus vita sepultus requiescit, ad cuius tumulum signa fuerunt edita.

Hæc Ecclesia postea ab hostibus Ecclesiarum penitus deuastata est. defuncto Comite Rassone, successit Fridericus Comes, frater ipsius, armis strenuus, qui ad sanctam terram iter faciens obiit, ibique sepultus est, alius verò ac tertius Fridericus, dictus Roch, apud S. Blasium, sepultus est in nigra silua, secundum Ioannem Auentinum.

*Eberspergens' monasterium, vulgò Eber-  
sp'erg.*

**E**Bersperg castrum olim inter Oenum & Senonas, nunc Sempta amnes fitum in silua, quam Ioannes Auentinus lib. 4. Corno-  
dunensem olim appellatam dicit, nunc Eber-



spergensis vocatur à Sighardo, Comite de Sempta, aduersus Vngarorum irruptiones, admonentibus sacris viribus, Conrado de Hevva ex Hegouia, & Gebhardo Argentinensi, sanctissimis ac facundissimis eius temporis viris, conditur. Ab apro, quem ibi inuenit, Ebersperg nomen accepit, circa annum 900. Eberhardus & Adalbero, Comites de Sempta, nepotes Sighardi ex Ratholdo filio, post bellum Vngaricum, cui anno Domini 955. interfuere cum sorore Vvilpriga templum D. Sebastiano in arce sua Ebersperg construxerunt, anno Domini 970. Ipsi paucis post diebus mortui sunt, & hæc sunt principia huius monasterij.

Vlricus, filius Adalberonis, cum coniuge sua Richarda, sorore Marquardi, Carinthiae Marchionis, Eberspergij collegium pro monachis Augustinianis instituerunt, ipsa obiit 1013. ipse 1019. ambo ibidem sepulti.

Adalbero tertius, filius Vlrici, cum coniuge Richildi, sorore Vvelphonis tertij, Ducis Carinthiae, cum liberis carerent, Ebersperg, arcem in ædem D. Benedicti commutauerunt tradideruntque monachis inter alia Peffenhausen. Item in Austria Posenboig, & Ibs, quæ cum monasterio longius sita essent, longo post tempore, nempe anno 1180. Ducibus Austriae, pro commodioribus ac propinquioribus prædijs data & commutata sunt.

Fundationem seu institutionem huius monasterij per Adalberonem tertium cum coniuge



iuge factam, Henricus tertius Imperator, & idem Dux Boiorum confirmavit anno 1040.

Idem quoque Adalbero comes monasterium Beurn ad radices Alpium, in superiori Bavaria situm, ab Ungaris vastatum, cuius curator seu Aduocatus erat refecit, ac eiectis Augustinianis, Benedictinis monachis reddidit, ac duodecim monachos Tegernseenses eò transtulit. Obiêre isti coniuges fundatores eodem anno, nempe 1045. atque in his defecit nobilissima hæc familia Comitum à Sempta & Ebersperg.

## CAPVT LIII.

## VV ALCIODORENSE

*Monasterium, vulgò Vualsor, ad Mosam fl. inter Dionantum & Giuetum opida.*

**S**ANCTUS Eloquius Abbas & Confessor ex Hibernia in Galliam circa annum Christi sexcentimum quinquagesimum veniens, cum S. Furseo Latinicum struxit monasterium, ibidemque sanctissime vixit. Itaque B. Furseus ad Christum migraturus, monasterij curam B. Eloquio reliquit. At cum postea discipulorum suorum animos inique in se concitatos Eloquius intelligeret, cum paucis fratribus Grimacum ad Isaram secessit, vitam ducturus eremiticam. Cumque S. Eligio Nouiomensis Episcopo sincera eius re-

*An. 165.*



An. 960.

ligio innotesceret, ipsum presbyterum ordinavit, & per suam diocesim prædicandi licentiam dedit. Peruenit autem ad multam senectutē, vitæ sanctitate ac miraculis longè lateq; clarissimus. Corpus eius religiosè humatū est in monticulo iuxta aggerem publicum, vbi Sommeron & Isara confluunt. Estque basilica in eius memoriam ædificata, quæ magna fidelium deuotione frequentata fuit, vsque ad tempora Odonis Regis, sub quo Danorum sæuiente crudelitate, cum aliis basilicis, cremata est; sic tamen vt diuinā clementiā corpus saluum manserit in se reto sacrophago. Contigit autem postea sæpe eo in loco voces audiri psallentium, & luminaria videri. Quo præsignificabatur sanctum virum aliquādo exaltandū. Quod circa annū nōgētesimum sexagesimum præstitit religiosus Comes Eilbertus. Cum enim huius sancti viri corpus sub dio in quadam solitudine relictum esset, pius Comes hoc pignus sacrum à Rodehardo Laudonensi Episcopo petiit & obtinuit. Sicque deportatū est, ad basilicam Vualciodorensē, à dicto Comite fundatam, & in ipsa trāslatione plurimi à variis languoribus sunt curati. *Hæc ex S. Eloquentij vitæ historia desumimus, quæ à S. Forannano Archiepiscopo eo tempore quo sacrum corpus ex Francia Vualciodorum est translatus, scripta creditur. Caterum de hac translatione plura habet liber fundationis cœnobij Vualciodorensis, ante trecentos annos à Roberto monacho Stabulensi, post Abbate Vualciodorensi*



*ciodorensi conscriptus. Ex illo itaque nonnulla libet hic subiungere.*

Regressus à summo Pontifice sanctus Forannanus, honoris incrementa suæ Ecclesiæ cœpit desiderare, sed & Comitem Eilbertum convenit, ut communi deliberatione & consilio, alicuius Sancti nominati reliquias obtinerent: futurum autem esse dicebant, ut ex præsentia alicuius Sancti, & recens basilica honorabilior haberetur, & populi cæteruaugeretur, & locus abundantiori benedictione sanctificaretur. Cui rei animum apponens Comes, coniugem suam participem fecit consilij, ut & meriti particeps esset. Prius itaque Ecclesiæ S. Michaelis in Tharascia à se fundatæ acquisierat memorabile corpus beati Adalgisi: quod eum idem præstare vellet Vualciodorensi, cōmodè obtinuit corpus sancti Eiloquij. Idque aliquot diebus deposuit in basilica B. Michaelis in Tharascia, ut in die, qua cælos petiit in Francia, transportaretur Vualciodorum. Dum autem per Famennam deferretur, à portatoribus depositum in Morthu-  
fin, resummi non potuit, nisi suis precibus, & Vuiderico duos mansos terræ sancto Eloquio legante. Et sic Vualeiodorum est peruentum III. Nonas Decembris, quo translationis, & depositionis & basilicæ consecrationis memoria festina agitur. *Consule Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij, III. Decembris.*

*Huic cœnobio Vualciodorensi annexa est cella vicina, seu Prioratus, ut vocant, Hasteriensis.*

*An. 944.  
monasterij  
Vualciodo-  
rensis iacta  
esse funda-  
menta ab  
Eilberto  
Comite, legi  
in MS. quo-  
dam codice  
cœnobij S.  
Trudonis.*

*Hanc*



Hanc Basilicam Hasteriensem ab Alberone Metensi Episcopo constructam, in eaq̃ primū moniales resedisse, ac demū, per mutatione quādam initā, ad Vualciodorenses deuenisse, ex loci eius monumentis traditur, in manuscripto quodam codice monasterij Trudonensis, quo olim vsi sumus.

## CAPVT LIV.

*Tegernseense monasterium in Bauaria.*

**A**lbertus & Ottogerion illustres Boiariæ Comites, ita in diplomate appellantur isti duo fratres, in superiori Vindelicia intra Isaram & Oenum in faucibus Alpium, prope lacum Tigurinum, contubernium monachis fundarunt, quorum Præsul, Boiariæ Antistites omnes dignitate antecellit. Nam cœnobium fossa, mœnibus, tormentis bellicis, & alijs huiusmodi instructum, instar Regiæ possidet, more Principum equestris ordinis officiales perpetuos habet. Instauratur hoc monasterium ab Ungaris exustum per Ottonem Imperatorem secundum & Ottonem filium Luitolphi, fratris Ottonis secundi, Ducem tum Boiariæ & Sueuiæ, qui monachis cœnobium cum prædijs restituunt, Hartuicum præficiunt, & profanos qui religiosorum locum occupant, migrare iubent, anno 979. Fuerunt isti fundatores



tores Comites de Vvarngevv & Tegernsee; quidam suspicantur fuisse filios Grimoldi Ducis Superioris Bauariæ, ex familia primorum Ducum & Regum Bauariæ, occisi in tumultu. Diploma Henrici sexti astipulatur, in quo hos fundatores regali prosapia ortos dicitur his fratribus has ditiones inter Isaram & Oenum Alpihus subditas, scilicet Vvarngevv & Tegernsee, à carolo Marcello fuisse traditas, auctor est Auent. lib. 3. Anual. Diploma Ottonis secundi, cuius exemplum infra in fine ponitur, habet, hos duos germanos fratres & illustres Comites in suo & de suo patrimonio temporibus Pipini Regis Francorum ipsius permissu, condidisse hoc monasterium; vnde præsumitur, hos de antiqua nobilitate Bauariæ fuisse, qui vnà cum fratre Vttone etiam alias ditiones in Bauaria & in Austria tenuerunt. Vtto enim ad Ilmum flumiū monasterium Ilmunster instituit, quo ossa S. Arsatij transtulit Ioan. Auent. Superiores duo fratres infra Anassum instituerunt monasterium S. Hypoliti, vulgò *Sant Pelten*. De fundatione huius monasterij exstant quædā in libro quodā scripto monasteriorū Bauariæ, & Indice Abbatū huius monasterij de filio Ottocari in Gallia, à filio Regis Pipini in ludo Schachorum occiso, quæ tamquam fabulosa Auent. in Chronica omisit. Ego de hac re nihil certius puto inueniri quàm quod in priuilegijs tū Ottonis secūdi, tum Henrici sexti, & Friderici secundi Imperatorum cōtinetur.

*Petri*



*Petri domus vel Peterschusium, in diœcesi  
Constantiensi.*

980.

Itum est hoc monasterium ad Rhenum è  
S regione vrbis Constantiensis in Sueuia,  
fundatumque à S. Gebhardo XXVI. Episco-  
po Constantiensi, an. 980. Monachis è cella  
Menradij accitis. Obijt S. Gebhardus funda-  
tor anno 996. cum præfuiſſet annis sedecim,  
de cuius rebus gestis vnde libros duos per Fe-  
licem Manilium conscriptos, editosque à Io-  
anne Pistorio in chronico Constantiensi.

## CAPVT LV.

*S. Pantaleonis monasterium in vrbe Co-  
loniensi.*

954.

S Bruno Coloniensis Episcopus, (cuius  
diem festum peculiari officio celebraſt  
Ecclesia Tornacensis) etſi grauiffimis Rei-  
publicæ negotijs distineretur, vtpote vicari-  
us Imperij, à fratre Othone Imp. constitutus,  
vitâ tamen solitariâ ac monastica quamplu-  
rimum delectabatur. Quare per Hadamari-  
um Abbatem Fuldensem reliquias S. Panta-  
leonis coloniam Vbiorum adferri iussit, &  
in eius honorem insigne monasterium anno  
954. construxit ex castro Tuitiensi, quod de-  
struxit, & ponte Rhenano, quem demolitus  
est. Pons ille à Constantino Magno super  
Rhenum constructus putabatur. Obijt autem

S. BRU-



S. Bruno anno Christi 965. in suo D. Pantaleonis monasterio conditus : de cuius sanctitate vide Baronium in Annalibus, tomo 10. ad annum citatum, & Erardum Vvinhemium in Sacratio Colonia Agrippinae.

965.

*Gladbacense monasterium vulgò Gladbach,  
in d. Colonienſi.*

**M**onasterium istud, construxit Gero Archiepiscopus Colonienſis XXVIII. & multis Sanctorum reliquijs idipsum exornavit. Inter alias adseruant ibi magna cum reuerentia S. Laurentij martyris caput, non semel à Philippo II. Hispaniarum Rege expetitur, sed frustra : quod nollent illius loci monachi tam precioso thesauro priuari.

*S. Martini Maioris cœnobium, in vrbe Colonienſi.*

**S** Martini Colonienſe monasterium, in insula Rheni olim, hodie in continente, non procul à Rheno, intra vrbis moenia situm, fundatum legitur primùm ab Odgero Daciae Duce ; tandem verò reparatum & auctum, postq; primam eius enersionem quasi de nouo instauratum anno Christi circiter 986. sub Imperatore Othone tertio. Ita Bruschius.

986.

In hoc



In hoc monasterio reliquiae S. Eliphij martyris conseruantur.

Erardus Vvinhemius cit. libro dicit hanc basilicam primò constructam à Vvarino XXVIII. Episcopo Coloniensi, pro natione Scotica: quod nunc in desuetudinem venit.

In vrbe Coloniensi sunt insuper quatuor virginum Benedictinarum monasteria, primum ad SS. Machabæos, secundum S. Mauritij, tertium S. Agathæ, quartum S. Ioānis Baptistæ in Clusa: de quibus Vvinhemius cit. libro, & nos alibi dicemus.

*Monasterium in Brauvweiler, diœcesis Coloniensis.*

1024.

**T**emporibus Hermannii II. Archiepiscopi Coloniensis, Erenfridus Comes Palatinus & vxor eius Mathildis monasterium istud in Dei ac S. Nicolai honorem an. 1024. fundarunt. Obijt Hermannus fundator anno 1054.

*Tuitiense monasterium, ex opposito Colonia Agrippina ad Rhenum fl.*

1012.

**F**Vndatum id est circa annum Christi 1012. à S. Heriberti Archiepiscopi Coloniensis fratre germano, Comite Rotemburgio ad Tubarum, cuius tamen nomen ignoramus. Is in magna annonæ difficultate, ingentem

men-



mendicantium pauperum, vt inutilem multitudinem, in horreum ruri situm conuocatam, incendio cum deleuisset; sceleris tanti poenitentia tandem ductus, Romam ad Pontificem iuit: à quo absolutus cum iuberetur cœnobium construere pro tanti peccati satisfactione, Coloniae fratrem Archiepiscopum conuenit, cuius consilio pariter atque auxilio in perueteri oppidulo Tuitiensi, eoq; ipso loco, vbi antiquitus *Tuisconis* primi Germanorum Regis castrum fuisse affirmant, oratorium & domum Dei condidit, in qua pietatis, & litterarum florerent studia, Deoq; rectè seruiret, & probè etiam institueretur scholastica iuuentus, Ecclesiae & Reipub. aliquando seruitura.

Hoc in monasterio spectatur tumulus dicti Episcopi Hereberti, in quo tabula plumbea inuenta est, hac inscriptione:

*Anno ab Incarnatione Domini nostri millesimo vicesimo primo, XVII. Kalend. Aprilis, Obijt Heribertus sanctae Coloniensis Ecclesiae Archiepiscopus, qui de suo proprio sumptu hoc monasterium fecit.*

*Heribertus Coloniensis Episcopus constructor huius Ecclesiae, anno incarnati Verbi millesimo vicesimo, ipsam consecrauit in honorem Saluatoris mundi, eiusque genitricis.*

Q

CAP.



## CAPVT LVI.

*Monasterium S. Petri de Esloza in agro  
Legionensi.*

999.

**S**itum est hoc monasterium tertio lapide  
ab vrbe Legionensi in valle, quam vocitant  
Elifoncia, fuitque primum dedicatum in  
honorem S. Eulaliae virginis & S. Vincentij  
Leuitae. Est autem antiquius temporibus  
Garfiae Regis, qui illius monasterij  
fundator non fuit, sed benefactor & ampli-  
ficator, vt ex vrbis ipsius diplomatis colli-  
gitur.

*Nos Garcia Princeps & Munia Dona Regi-  
na offerimus venerandis martyribus ( quorum  
reliquiae hic conditae requiescunt ) S. Eulaliae vir-  
gini & S. Vincentio Leuitae, in cuius honorem  
basilica ab antiquis fundata esse dignoscitur in  
suburbio Legionensis ciuitatis, in valle quam vo-  
citant Elifoncia &c. Datum III. Kal. Septemb.  
Era D. CCCC. L. Creditur verò hoc mona-  
sterium fundatum ante Maurorum incurfi-  
onem in Hispaniam, Huius item monasterij  
Abbas fuisse putatur Florentius, qui Conci-  
lio Toletano I. interfuit, sub Rege Vvamba,  
& his verbis subscripsit Florentius Ecclesie  
monasterij S. Eulaliae Abbas hac gesta synodica,  
à nobis diffinita consentiens, subscripsi.*

Tempo-



Temporibus prædicti Regis Garziæ monasterium istud dedicatum est in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli, vt constat ex diplomate Vxacæ, Ferdinandi Regis & Lantiæ Reginae filiae, Dato II. Idus Martij Era CXXXVII. In quo quidem diplomate fit mentio trium insuper monasteriorum, nempe S. *Ioannis*, intra munitionem muri Legionensis siti, S. *Adriani* in Montanis, & S. *Ioannis*, quod vocatur Viruio in Asturijs. Ita Sandouallius.

An. 999.

## CAPVT LVII.

*Prioratus S. Sepulcri, Ord. Cluniacensis, in d. Tricassina, in Gallia.*

**P**Rioratus S. *Sepulcri*, octauo ab vrbe Tricassina lapide situs est, cuius prima fundamenta iecit S. *Aderaldus* Tricassinæ quondam Ecclesiæ Canonicus & Archidiaconus, qui animam cælo dignam exhalauit an. 1004. vt in veteri chronico coenobij S. Petri Viui Senonensis memoratur. Cum quo facit & Chronicon Roberti monachi Autissiodorensis, quod anno 1005. in publicum Trecis emissum est. Cum enim ipse *Aderaldus* siue *Adroldus* aut *Arraldus* Ierosolymitanum iter, gloriosi & augusti Christi sepulchri visendi gratia, dare Deo absoluisset, sacrâ dictâ ædē, vt peregrinationis suæ monumētū esset, insti-

1004.



tuit, in quo hodieque sacra dignissimi omni  
veneratione eius corporis reliquiae asseruan-  
tur, festusque eius dies in dioecesi Tricassi-  
na 20. Octobris agitur. Ita Nic. Camuratus  
in Antiquitatibus Trecentibus.

## CAPVT LVIII.

## S. PAVLLI

*Cænobium, in vrbe Vltraiectina, olim in Monte  
sancto situm milliari vno ab Amersfurto,  
ditionis Vltraiectina  
opido.*

An. 949.

\* *Vulgo*  
*Altenae.*

*Eam alij*  
*Hilsmon-*  
*lam, alij*  
*Hilsindem*

*incompans.*

**A**Nno Domini nongentesimo nonagesi-  
mo quarto, defuncto Balduino Ponti-  
fice Traiectensi, Anfridus cum pridem  
ex seculari Comite clericus esset attonsus,  
nunc Ecclesiae Traiectensis decimus octauus  
est ordinatus Episcopus. Hic de nobili gene-  
re Caroli Magni progenitus, fuerat prius  
Comes Hoijsensis, Teysterbandiae, Bratuspan-  
tiae, & Dominus de\* Holtena. Is Comes An-  
fridus solitus erat residere in territorio suo  
Driel apud Bommel, quia erat Dominus fe-  
rè illius insulae. Et habuit nobilem ac deuo-  
tam uxorem, quae nocturnis horis sub silentio  
de castro descendere consueuerat, viro suo  
ignorante quò iret. Quod attendens quidam

domi-



domino suo familiaris, dixit ei; Ecce domina nostra comitissa omni nocte sola exit è castro sub silentio, & nescio quò; fortè ad illos, quos in secreto cordis sui nequiter amat, ut amoris suo satisfaciat. Quod audiens Comes observabat callidè excubias, ut sciret quò iret, ac tantas faceret moras. Et ecce quādam nocte secundum suam consuetudinem in profundā noctis caligine descendit de castro, & ipse coepit silenter ire post vestigia eius. Et ecce vidit eam ante fores capellæ sub sambucogenibus prouolutam, atque ipsam diutissimè ac deuotissimè ibidem in oratione persistentem. Et statim vidente Comite totus aër firmamenti circa eam tanto lumine radiabat, ac si luna suo splendore tota splenduisset. Quod videns Comes valdè expauit, & de cetero magno honore & amore eam excoluit. Is denique cum vxore suā seculum reliquit, & attonsus est in Ecclesiasticum. Idem inspirāte Deo, ad instantiam Notgeri Leodiensis Episcopi, dedit Comitatum Hoyensem Ecclesiæ Leodiensi, & Otho Secundus Imp. confirmavit. Insuper Comitatum Teysterbandiæ, & Bratuspantium donauit ad vsum Ecclesiæ Traiectensis. Item dedit adhuc alias terras Ecclesiæ Traiectensi de quibus dedit tales litteras.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, operæ pretium duximus, quæ subsequuntur scriptis inferere, ne posteros lateret, quod præsens ætas faceret. Quapropter desidera-

*Anfridus  
Ecclesia  
Vltraiecten-  
si dat VVe-  
sterlo pagā  
Campania  
Brabantia  
etc.*



*Notant an-  
tiquitatis  
Brabantia  
studiosi.*

mus notum esse cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam modò præsentibus, quod ego Anfridus, Dei solummodò gratiâ sanctæ Traiectensis Ecclesiæ Præsul, indignus iure, confusus in Domino cum transitoriis acquirere perennis vitæ gaudia, quandam mei iuris hereditatem, quam antea potestati uè possederam, infra Comitatum Rien nuncupatum, quorum locorum hæc sunt nomina, VVesterlo, Odlobolo, Nierbeke, Hoybeke, Burente, pro me, meorum uè parentum remedio, cum omnibus ad hæc pertinentibus Ecclesiis, ædificijs, agris, mancipiis, pascuis, pratis cultis & incultis, siluis, aquis, aquarumve decursibus, trado ad Ecclesiâ S. Mariæ semper Virginis, sanctique Martini in Traiecto, ad restaurandû ibidē Dei seruitiû. Si quis huius rei traditionē infregerit, laqueum omnipotentis Dei iræ, eiusque genitricis Mariæ, sanctique Martini incidat, & quasi profanus à sanctæ Ecclesiæ liminibus sequestratus existat. Et ut veriùs credatur firmissusque obseruetur, sigilli nostri impressione propria manu designauimus.

*An. 1065.*

*Anfridus  
construit  
coenobium  
in Monte  
Santo.*

*Et infra:* Anno millesimo quinto Anfridus Episcopus Traiectensis, tanquam filius castigatus & dilectus Deo, oculorum suorum lumen amisit, & venerabile collegium ordinis S. Benedicti supra Montem sanctum prope Amersfordiam, in honorem S. Dei genitricis construxit, in quo sacræ religionis habitum suscepit, & ad vitæ suæ terminum deuotissi-

*mè per-*



mè preduravit. Obijt autem anno Domini millesimo octavo, V. Nonas Maij, ac sepelitus in eodem monasterio, postquam Episcopatum Traiectensem sapienter gubernasset annis XI V. Igitur post dormitionem Anfridi Adelboldus natione Friso XI X. electus, est Episcopus.

*Et infra iterum:* Anno millesimo vicesimo septimo, V. Kal. Decemb. Adelboldus Episcopus migravit ad Dominum. Post hunc Bernoldus vicesimus ordinatus est Episcopus. Is Abbatiam reuerendi patris Anfridi de Monte sancto Traiectum transtulit, vbi conuentualem Ecclesiam in honore S. Paulli condidit. Anno Domini millesimo quinquagesimo quarto XIII. Kal. Augusti Bernoldus migravit ad Dominum, Sic Ioannes Leidanus Carmelita in manuscriptis Hollandiae Chronicis Eadem tradunt Ioannes Becanus, & Guilielmus Heda *Vltraiectensis Ecclesiae Historiographi.*

*Libet his subiungere, quæ de huius cœnobij initijs ac progressu, nobis vir pius atque eruditus Ultraiecto transmissit.* Dominus Anfridus secundum seculi dignitatem Comes Teysterbandiæ, Bratuspantium, & Hoyensis, & Dominus de Altenae, vxorem habuit Hilsmondam; qui postea diuino nutu in XVIII. Episcopum Ultraiectensem promotus, construxit in loco Hohorst, prope Amorsfordiam collegium Ord. S. Benedicti, in honorem Dei genitricis Mariæ, tulitque duodecim monachos

*Moritur.*  
*An. 1008.*

*An. 1027.*

*Cœnobium*  
*ab Anfrido*  
*Monte*  
*sancto, con-*  
*structum*  
*transfertur*  
*Vltraiectū.*  
*An. 1054.*

*Anfridum*  
*Comitem*  
*Bratuspan-*  
*tium Sige-*  
*bertus in*  
*Chron. an.*  
*997. vocat.*



*An. 1006.* ex S. Viti martyris Gladbaensi monasterio, & instituit Dominum Vueringerum, doctum pariter & pium, primum Abbatem, & liberalissimè dotauit, anno CIO. VI, ipso dedicationis die, scilicet XIV. Kalend. Decembris. Qui Anfridus & habitum religionis in Monte S. Mariæ suscepit, & vitam deuotissimè finiuit an. CIO. VIII, vel vt aliqui volunt CIO. IX. V, Nonas Maij. Itaque Vueringerus Abbas fuit in monte sancto, & claruit an. CIO. XXVIIJ. cui Anfridus Episcopus multa bona, vt supra dictum est, tradidit, & Adelboldus itidem Episcopus decimas.

*An. 1022.* Adelbertus II. Abbas in Monte sancto claruit anno CIO. L. Huic Bernoldus seu Bernulphus Episcopus dedit bona, & monasterium in urbem Ultraiectinam transtulit anno Domini CIO. L.

*An. 1050.* Geruicus tertius Abbas, & primus monasterij S. Paulli, claruit anno CIO. CXVI, sub Burchardo & Godebaldo Episcopis.

*An. 1116.* Bartoldus secundus Abbas S. Paulli claruit sub Godebaldo Episcopo, an. CIO. CXVII. Et sic alij ex ordine Abbates, vsque ad Dominum Gerardum à Mierlo, qui XXXVI. Abbas, obiit anno CIO. IOLXXXIIJ. Hactenus ille.

*An. 1117.* *An. 1584.* Thorense virginum Canoniarum collegium, apud Maseicam. *Quod ad Thorense monasterium, Ansfridi pariter opibus fundatum, attinet, est illud hodie nobilissimarum virginum Canoniarum illustre ac potens collegium, in vico Thoren, qui sesqui-*

milli-



militari distat à Maseica dittonis Leodicensis ad Mosam fl. opido, fixam habens sedem. Quibus quidem virginibus, in sacris muneribus obeundis subseruiunt sex Canonici seculares, amplissimè itidem dotati. De Thorensis huius monasterij initijs ita legitur in Chronico Leodicensi, à monachis Aureæ vallis conscripto: Ab Anfredo Comite, de consilio Notgeri Episcopi Leodiensis, fundatum est cœnobium monialium in villa, quæ dicitur Turne, quam tenet Comes Brabantinus à Leodiensi Episcopo. Hic Anfredus in Episcopum inferioris Traiecti per Deum electus, suam coniugem Hilfindem in Turne constituit, vbi filia eorum benedicta primò regimen animarum sub regula B. Benedicti suscepit, & ibi sepultæ sunt. Notgerus Comitatum Hoyensem Leodiensi Ecclesiæ ab Anfredo Comite acquisiuit, & ea quæ Otho Imp. habebat ibi, acquitauit Episcopo, & a nullo priuilegium sigillauit.

## S. IACOBI

*Cœnobium, in insula Mosæ fluminis, intra muros  
urbis Leodicensis.*

**O**lbertus Abbas IIII. Gemblacensis, Leodernæ in confinio pagi Sambrensis natus puer in cœnobio Laubiensi liberalibus artibus, ac disciplinâ monasticâ, ab Herigero eius loci Abbate, est instructus. Pòst Lutetiæ

*Trithe-  
mius lib. de  
Script. Ec-  
les. cum  
nuncupat  
Albertum.*



Parisiſorum, in cœnobio ſancti Germani, de-  
inde Tricaſſinæ ſtudijs triennium operam de-  
dit. Sed & Fulberti Carnotenſis Epiſcopi au-  
ditor fuit. Ex Gallia ad Laubienſe cœnobium  
ſuum reuerſus, ibidem magnâ pietatis ac do-  
ctrinæ gloriâ floruit. Cumque eâ tempeſtate  
Burchardus Vuormatiensibus datus eſſet Epi-  
ſcopus, is à Baldrico, eo nomine ſecundo Leo-  
dicenſi Epiſcopo, petijt, ad ſe mitti aliquem,  
cuius operâ ac præſidio vltiores ſacris in  
litteris progreſſus facere poſſet. Miſſus eſt  
itaque Vuormatiam Olbertus, qui Burchar-  
dum diligentiffimè inſtituit. Quantum verò  
is ex Olberti doctrina profecerit, ex actibus  
eius æſtimandum erit; de quo ſatis conſtitit,  
quòd illa ætate in Scripturarum eruditione  
vnicè claruerit. Quod vel in hoc probari po-  
terit, quòd opus ſanctæ Eccleſiæ nimis vtile  
elaborauit, dum Olberto dictante & magi-  
ſtrante, magnum illud Canonũ volumen cen-  
tonizauit, & quaſi collectis floribus omnifor-  
mis generis de præto ſcripturarum, coronam  
pretioſiorẽ auro & topaſio, in edito Eccleſiæ  
collocauit. Olbertus Vuormatia Laubium re-  
uerſus, à Baldrico Epiſcopo ſupra nominato,  
paullò poſt euocatur, & Gemblacenſis Abbas  
conſtituitur, conſecraturque XI. Kal. Octob.  
an. milleſimo duodecimo. Vtq; erat vir ſacris  
profaniſque apprimè eruditus, Bibliothecam  
inſignem, vt alter Philadelphus Gemblaci  
inſtruxit, plurimis cum diuinarum, tum hu-  
manarum diſciplinarum libris comparatis.

Scri-

An. 1012.



Scripsitque inter cetera historiam vitæ & translationis sancti Veroni cōfessoris, rogante Raginero Hannoniæ Comite. Ceterum cum eā tempestate, S. Iacobi cœnobium in insula Mosæ fl. apud Leodicenses, patrimonij sui ære fundasset idē Baldricus II. Episcopus, ipsoque viuis erepto cœnobium istud nemini adhuc commissum esset, Guolbodo eius in Episcopatu successor, illud Olberto regendum tradidit, qui primus ibi monachos congregavit, & Leodicensi, simul & Gemblacensi cœnobijs, ad vsque vitæ exitum, laudatissime præfuit, mutatis sæpe vicibus, nunc Gemblaci, nunc Leodici residens. Cumque Gemblacensi annos triginta septē, Leodicesi verò cœnobio annos circiter triginta præfuisset, Leodici demum obiit II. Idus Iulij, anno millesimo quadragesimo octauo, ibidem ad D. Iacobi conditus, hac inscriptione.

An. 1048.

Hic iacet Abbatum speculum, decus & monachorum,

Abbas Olbertus, flos, paradise, tuus.

Præfuit Ecclesijs normali tramite binis,

Legia corpus habes, Gembla carēdo doles.

*Hac ex manuscripto Abbatum Gemblacensium catalogo, à Sigeberto chronographo & monacho Gemblacensi conscripto, hausimus; quem pro suo in nos adfectu nobis transmisit Illustris et Reuerendus D. Ludouicus Sonbecus, Abbas et Comes Gemblacensis.*

*Sigebertus porrò Gemblacensis in Chronico sue, tradit hoc cœnobium à Baldrico an. Christi*

*mille-*



An. 1014.

millesimo decimo quarto fundatum. Quæ autē instituendi eius causa seu ratio fuerit, breuiter narrat Rodolphus Abbas Trudonensis, in manuscripto sui cœnobij Chronico: Anno Domini CIO. XIIj. Baldricus Secundus Leodiensis Episcopus, ad arcendum maleficos, cœpit ædificare castrum apud Hugardis villam, quæ est allodium Ecclesiæ S. Lamberti, intra Brabantiam ad confinia sitam. Cui obsistente Lamberto Barbaro, Louaniensi Comite, conflictu belli commisso, Episcopus, cæsis suorum trecentis, vincitur; qui Leodium rediens, de suorum strage læsam conscientiam habens, consilio discreti viri N. Episcopi ex Italia venientis, ad placandum omnipotentem, pro redemptione animarum occisorum, cœnobium fundare deuouerat. Sequenti igitur anno voti compos, intra muros ciuitatis, in insula, cœnobium in honorem S. Iacobi Minoris ædificauit, ad quod idem Comes Lambertus de proprio allodio, pro satisfactione, larga dotalitia contulit; ubi & primus Abbas Olbertus nomine præfuit. Et paullo infra.

An. 1017.

Anno Domini CIO. XVIIj. Baldricus secundus obiit, & in crypta monasterij S. Iacobi, quod ipse fundauerat, sepelitur. Cui Vuolbodus succedens anno eodem, cœnobium præfatum nuper incœptum, mandato Henrici Imperatoris, perfecit; qui in Episcopatu quinque\* annis præfuit.

Alij tribus

Haftenus ex Chronico  
Trudonensi.

S. LAV.



## S. LAURENTII

*Cænobium, apud muros vrbis Leodicensis.*

**D**E huius cænobij institutione ita Sigebertus Gemblacensis in Chronico: Anno CIO. XXV. Ragiginardus Leodicensium ordinatur Episcopus, qui Leodij in monte publico cænobium S. Laurentij instituit, eiq; Stephanum Abbatem primum præfecit. Longè tamen vetustius esse hoc cænobium patet ex historia vita Notgeri Leodicensis Episcopi, quam ex tabula membranæ, ad D. Ioannis Euangelistæ Leodici pendente, descriptam, in suo Itinerario Belgico edidit Abrahamus Ortelius. In ea autem sic legitur: Eraclius fundamenta monasterij B. Laurentij, iuxta muros Leodienses, iecit. Itaque seriatim fiebat opus, iamque ex parte surrexerant à fundamento murorum parietes. Opus itaque incoëptum per Eraclium, eo defuncto permansit imperfectum, donec Notgerus, qui successit, Episcopus, æquatis tamen parietibus murorum, tectum superponi fecit. Est itaque cænobium hoc primum ab Heraclio (qui anno circiter nongentesimo sexagesimo creatus Episcopus, obiit an. nongentesimo septuagesimo primo) inchoatum; post à Notgero, qui Heraclio immediatè in Episcopatu succedens anno millesimo septimo obiit, auctum; à Guolbodore item Episcopo adificijs exornatum (vt alibi

An. 960.

me le-



me legere memini ) ac demum à Raginardo perfectum absolutumq<sup>3</sup>. Obijt autem Notgerus anno Christi millesimo septimo, Raginardus vero anno millesimo tricésimo sexto,

Manuscriptum porro Chronicon Leodicense notat Stephanum, quem Viridunensem nominat, à Raginardo Episcopo, ad preces Hermanni Comitis, et post monachi S. Vereni, Abbatem primum fuisse creatum, eumq<sup>3</sup>, nemora propter latronum insidias succidisse, et annis tribus ac viginti præsuisse.

### FLORINENSE

Monasterium, in finibus agri Leodicensis, sesquimillari à Philippopoli, Hannoniae opido situm.

**C**Ameracenses inter Episcopos Gerardus, eo nomine primus, enituit, qui apud Florinas patre Arnulfo, viro nobilissimo, eiusq<sup>3</sup>, tractus Domino natus, Florinense istud cœnobium, in honorem S. Ioannis Bapt. suo ære construxit. De quo Chronographus Cameracensis: Gerardi, inquit, Episcopi patre defuncto, ipse Dominus Episcopus apud Florinas, pro reuerentia siquidē loci, quo natus fuerat, imò & pro salute animæ patris, & monasterium S. Gingulfi quod pater imperfectum reliquerat, ad finem perduxit, & alterum S. Ioannis, ex rebus suis & fratrum suorum, non tam pulchra ædificiorū, quàm forti operositate fundauit. Sed hoc qui-

dem

Lib. 3.

De S. Gingulfo, seu Gengulfo vide Molanum in Natal. SS. Belgij Maij XJ.



dem clericorum, illud verò monachorum, vtrumq; annuente Baldrico Leodicensium Episcopo, in cuius parochia sunt, consecrauit. Deniq; illa Abbatia Domini Abbatis Richardi regimonia commendata, sed & magni Imperatoris (Henrici) auctoritate firmata, coepit florere, ac postea magis magisq; Deo gratias, tam affluentia rerum, quàm sanctitate monachorum effloruit. Hactenus ille.

De huius item cœnobij origine legitur in manuscriptis Leodicensium Chronicis, à monachis Aureæ vallis olim concinnatis. In diebus Notgeri Episcopi Leodiensis Ecclesia S. Gengulphi martyris in Florinis inœpit per Arnulphum de Ruminaco. Qui Arnulphus duos habuit filios, Godefridum scilicet & Gerardum Cameracensem Episcopum. Hic Gerardus sciens beatum Ioannem Baptistam apparuisse deuoto viro, conquerentem quòd non fiebat sibi Ecclesia, sicut multis alijs Sanctis, in Episcopatu Leodiensi, ex voto fecit eidem de patrimonio suo cœnobium de Florenes.

Porro Gerardus iste I. Cameracensis Episcopus obiit an. Christi millesimo quadragesimo octauo, teste Iacobo Guisiano in MSS. Hannoniæ Chronicis.

Ceterum ex Cameracensis Chronographi verbis effici videtur, in Florensi cœnobio primū clericos, non monachos, à Gerardo Episcopo collocatos esse. Quibus consonant manuscripta Sigebertini Chronici exēplaria Gemblacense & Lipsianum, in quibus sic legitur: Anno millesimo decimo

Richardus  
iste fuit pri-  
mum Ab-  
bas S. Veda-  
sti apud A-  
trebates,  
post Lau-  
biensis à  
Gerardo  
Episcopo  
constitutus.

An. 1048.

An. 1010.

in cœ-



An. 1015.

in cœnobio Floriensi, pro clericis, qui ad hoc usque tempus Deo seruiebant ibi, monachi sunt constituti. Anno millesimo decimo quinto Baldricus Episcopus Florinensem Abbatiam acquisiuit ei, cui præerat, Leodicensi Episcopatu.

## CAPVT LIX.

*Mons monachorum, extra muros vrbis Bambergensis.*

**A**bbatiam hanc amplissimam an. 1008. aut circiter in honorem S. Michaëlis Archangeli, excitauit S. *Henricus* Imp. eiusque conthoralis S. *Cunigundis*: qui & Episcopatum Bambergensem instituerunt ac dotarunt, teste *Bruschio*.

*S. Vdalrici monasterium in vrbe Augustana.*

**S** Vdalrici cœnobium, intra Augustanæ vrbis mœnia, versus meridiem, sublimi & augusto loco situm, ex D. Afræ vetustissimo templo in monasterium conuersum est ab ipso S. *Vlrico* Augustano Episcopo, post cæsos ibi ab imperatore Othone Magno Hunnos anno Domini 965. Instituit verò S. *Vlricus* ibi Canonicos primùm Regulares; postea verò à *Brunone* Episcopo, Imperatoris *Henrici* secundi germano fratre Abbatia Benedictinorum monachorum, eiectione Canonicis,

intri-



instituta, S. Vlrico angustum templum dedicatum est, quod prius S. Afræ exiguum tantum fuerat sacellum, idque factum legitur anno Christi 1012.

1012.

*VVeichenstephense monasterium, in d. Frisingensi.*

**P**ositum est hoc monasterium in excelso monte prope Frisingam, ubi olim fuisse dicitur castrum Pipini, Galliarum & Alemanniæ Regis, in quo postea etiam Carolomannus habitavit. Mons ille dictus est *Fetmons* siue *Thetonis mons*, cuius amplissimæ fossæ arcis magnificentiam adhuc hodie satis ostendunt: Hoc castrum postea anno 746. à *Marsilio* Sueuorum Rege euersum esse, historia monasterij tradit; sed *Auentinus* lib. 3. meminit *Landfridi* & *Diepoldi* Ducum Sueuiæ, qui cum *Vtilone* circa *Lycum* multa bella gesserint; sed de *Marsilio* Rege & de vastatione castri *Testmons*, nihil.

746.

In hoc loco *Hitto* Episcopus Frisingensis constituit Præpositum cum sex Canonicis circa annum Domini 830. Post annos verò 200. imperante S. *Henrico* secundo, *Egilbertus* Episcopus Frisingensis, ex familia Comitum *Mospurgensium*, eundem Præpositum cum suis Canonicis transtulit in vmbilicum montis ad monasterium S. *Viti*, quod ipse fundavit, & loco ipsorum instituit ordinem D. Benedicti, & monasterium S. Stephani

830.

R

proto-



1021.

protomartyris construxit, circa annum 1021 constituto ibi primo Abbate *Arnolpho*. Episcopus *Hitto* sepultus est in Ecclesia cathedrali in crypta, transtulitque *Frisingam* corpora *Alexandri* Papæ & Martyris, *Iustini* Cardinalis, & *Nonnosij* monachi, de quo scribit *B. Gregorius* in *Dialogis*. Imperator *Henricus* sanctus donauit monasterio *Vveichenstephensi*, ad preces *Egilberti* Episcopi castrum *Saxaganck* in *Austria*, cum suis attinentijs: pro quo *Engelbertus* per commutationem monasterio dedit villam *Hegelhausen*. In diplomate *Henrici* Imperatoris sunt hæc verba: partem cuiusdam insule *Sahsonaganc*, &c. in prouincia *Orientali* & in *Marchia* *Adelberti* Comitis sita, anno Domini 1021. sic ferè *Hundius*.

## CAPVT LX.

*Tinecense & Lubensense monasteria in Polonia.*

**I**llustria hæc Polonia monasteria, originem suam debent *Casimiro* eius nominis primo Regi Polonia, qui olim in *Cluniaco* monachus fuerat, non modò religionem professus, sed etiam ordine diaconus. Atque hunc quidem Poloni, professionis & Sacramenti religione à Pontifice Romano solutum, ad

vacans



vacans maiorum suorum regnum reuocarūt. qui ducta vxore & liberis procreatis cum annos octodecim regnasset, Posicania an. 1058. viuere desijt. Ceterum de vtriusque monasterij supra nominati fundatione ita Martinus Crömerus lib. 4. de Rebus gestis Polonorum.

1058.

Parato per circuitum regno Casimirus memor pristina conditionis, & vite monastica, victoriamque contra Maslaum atque barbaros diuino beneficio acceptam referens, Cluniacum vbi monachus fuerat legationem cum amplis muneribus mittit, benignitatem erga se Dei prædicat, sodalitati vniuersæ se suosque comendat, aliquot monachos ad se mitti postulat, qui secta illius, quasi colonias quasdam in Poloniam deducant. mittuntur duodecim. His partim Tineciam arcem, vno à Cracouia milliario supra Vistulam cum centum amplius pagis: partim Lubensium opidum ad Odram situm, cum compluribus itidem pagis & pro ventibus alijs attribuit, domicilia monachis exstruxit, atque templa eaque per ampla, supellectili ad cultum diuinum apta, ornauit. Fuit autem primus Abbas Triuerensis, Aaron Gallus, cuius integritas, pietas & industria Cluniaci adhuc Cazimiro perspecta erat. Atque v. deinde Rachelino sexto Archiepiscopo sue



Episcopo Cracouiensi vita defuncto à sacro eius basilica collegio postulatus septimus successit, regis fauore & commendatione adiutus, decimas, quæ ex bonis, Tiuecensis monasterij Episcopo Cracouiensi præbebantur Abbati & monasterio iure sempiterno addixit & adscripsit: diocesim psalmodijs et precationibus, ijs, quæ Graduum vulgò dicuntur, oneravit. Multa item alia Cazimirus Rex fecit et instituit, quæ ad religionis et reip. instaurationem pertinere existimabat: pace perpetua post Maslaicum bellum fatigatam superioris temporis malis Poloniam mirum in modum recreauit, eoque Instauratoris pacifici cognomentum meruit.

## CAPVT LXI.

SACRI SEPULCRI  
DOMINICI

*Cænobium, in vrbe Cameracensi.*

An. 1047.

**A**Nno Christi millesimo quadragesimo septimo, cum pestis acriter Cameraci sæuaret, Gerardus eo nomine primus, eius vrbs Episcopus, nouum extra muros vrbs coemiterium constituit, vt peste sublatis, quibus vetera coemiteria vix sufficiebant, in eo sepelirentur. Eodem in loco & sacellum in honorem sancti Nicolai, atque in sa-

crise-



cri sepulcri Dominici memoriam exstruere  
coepit, morte tamen præuentus, perficere  
non potuit. *Tradit hac Iacobus Guisianus in  
manuscriptis Hannoniae Chronicis.*

*Ceterum Lietbertus, Gerardi in Episcopatu  
successor, incohata perficiens, cœnobium eo ipso  
in loco fundavit an. millesimo sexagesimo quar-  
to, teste Meyero in Annalibus Flandriae. De his*  
*rebus ita legitur in historia vitæ B. Lietberti,*  
*quæ manuscripta isto in cœnobio adseruatur:*  
Cū Lietbertus vix impetratâ dimissione, Hie-  
rosolymam tenderet, comites habuit ferè ad  
tria millia, tanta coeunte copiâ populi, vt  
exercitus Domini diceretur. Ductus tamen  
per varia loca, & reductus, spe videndi sepul-  
crum Domini frustratus est, fraude nautarum  
declinantium insidias paganorum. Ceterum  
reuerfus, ex consuetudine nudis pedibus no-  
ctu Ecclesias & cœmiteria circuibat, pro se,  
suis & defunctis Dominum exorans. Inter  
quæ loca erat oratoriolum Dominici sepul-  
cri. Cum enim fames Cameraci multos ene-  
caret, vt vrbs cœmiteria non sufficerent, Ge-  
rardus Lietberti antecessor, extra muros cœ-  
miterium, & Ecclesiam in honorem Domini-  
ci sepulcri pro sepultura pauperum & pere-  
grinorum consecrauit. Vbi Lietbertus ma-  
gistri animatus exemplo, ampliori schemate  
monasterium cōstruxit, quod ampliatis mœ-  
nibus intra urbem est inclusum, vbi etiam an-  
te quinquennium, quàm vita discederet, ef-

An. 1064



An. 1076.

An. 1211.

Jnnij 23.

Obijt anno  
1140. cum  
annos 44.  
imperasset.

fodi sibi sepulcrum fecit. Obijt autem B. Liethertus anno millesimo septuagesimo sexto, conditusq; est in hoc cœnobio à se constructo, itemq; in tumulo iampridem sibi parato; post ab Alberico Remorum Archiepiscopo, anno millesimo ducentesimo undecimo in locum honorificentiorē translatus. Vide Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij.

Præpositura CAPELLENSIS in vrbe  
Bruxellensi.

**A**B isto S. Sepulcri cœnobio dependet cella, seu Præpositura, ut vocant, B. Mariæ Capellensis, olim extra, nunc intra muros vrbis Bruxellensis sita, quam monachi aliquot, è Camera-censi S. Sepulcri cœnobio euocati, sub vnius Præpositi regimine, obtinent, & sacra officia in Capella B. Mariæ (sic istam Bruxellensis vrbis parocchiam basilicam vulgò nuncupant) ex instituto peragunt. Huius Præposituræ auctor fuit Godefridus I. cognomento Barbatus, Lotharingiæ ac Byabantia Dux, cuius diploma hîc vides.

In nomine Domini nostri Iesu Christi, ego Godefridus Lotharingiæ Dux, ab Ecclesiarum Doctoribus intelligens omnium hominum salutem, ab eleemosynarum largitione plurimum constare. Principibus verò huius seculi, utpote, qui amplius acceperunt à deo, ut retribuunt ei ad ipsum magis congruere: eò quod eleemosyna peccatum exstinguat, & animam



animam viuificet, & quia Prophetæ Danielis testimonio Rex quondam ille eleemosynis à peccatis redimi potuisset, si tam acquieuisset. Doctrinis horum & exēplis operam dedi, & quorundam fidelium meorum salubri vsus consilio, quæ aure perçeperam, opere adimplere curauì. Denique caussa salutis animæ meę patrumq; meorum, ac filiorum, aliodium quoddam meum, Bruxellæ opido adiacens, & capellam in eo, ad honorem Dominici Sepulcri, Dominiq; genitricis Mariæ constructam, cum omnibus suis appenditijs Paruino Abbati, ac monachis S. Sepulcri Cameracensis Ecclesiæ, in eleemosynam dedi; in tantum videlicet liberè, vt nullus clericorum, siue laicorum, aut potentum, illud omnino in perpetuum violare præsumat, vt sui iuris aliquid ex eo vendicare queat: eā tamen consideratione, vt ibidem Deo, & eius genitrici, die noctuq; obsequia diuina impendantur, nec non & obitus mei memoria, in prælibata capitali Ecclesia, à fratribus annualiter habeatur. Et, vt hæc donatio mea in æternum inconuulsa permaneat, sigilli mei impressione, ac legitimorum testium subscriptione confirmo & corroboro. ¶ Signum

Godefridi Ducis. ¶ Signum fi-

liorum eius Godefridi &

Henrici.

(::)



## S. ANDREAE

*Cœnobium, in Castello Cameracesij, quinto lapide à Cameraco.*

**C**œnobium istud in Castello Cameracesij (quod episcopus est ditionis Cameracensis) situm, à fundamentis incohavit, et anno millesimo vicesimo primo dedicavit Gerardus, eo nomine primus, Cameracensis Episcopus, eiusque successor Lietbertus perfecit, ut eius loci monumenta testantur.

Quiescunt isto in cœnobio S. Maxellendii Virgo et martyr, itemque S. Sarius presbyter, quorum reliquias idem Gerardus Episcopus Cameraco honorificè istuc transtulit. Vide Molanum in Natalibus Sanctorum Belgij.

## CAPVT LXII.

*Cauense monasterium, in regno Neapolitano.*

1050. **C**Auense S. Trinitatis monasterium in Metelliana Caua, septimo à Salerno milliari, constructum est à S. Alferio, primo illius loci Abbate, circa annū 1050. ut Ioannes Capuanus Abbas in huius vita tradit. Ab hoc monasterio nomen habuit Congrega-

grega-



gregatio Cauensis, illo in tractu olim celebris. Vide Vvionum Lib. 5. Ligni Vitæ cap. 11.

## CAPVT LXIII.

*S. Martini de Campis monasterium, in vrbe  
Parisiensi.*

**H**enricus eo nomine primus Rex Galliarum anno 1056. cœpit instaurare ac reedificare monasterium *S. Martini de Campis*, tunc extra, nunc intra muros urbis Parisiensis situm: vt Guilielmus Nausiacus in sua Chronographia, & Gaguinus lib. 5. testantur.

1056.

Anno 1060. diploma dedit, in quo hæc inter alia leguntur. *Ante Parisiacæ urbis portam in honore Confessoris Christi Martini Abbatia fuisse dignoscebatur, quam tyrannicâ rabie (quasi non fuerit) omnino deletam ab integro ampliorem restitui, Canonicos regulari conuersatione ibidem Deo famulantes attitulaui: Et paullo post; Canonici etiam hanc potestatem habeant, vt Abbate obeunte, assensu fratrum, boni testimonij virum, nemine perturbante restituant.* Ex his constat ante Henrici I. tempora fuisse hoc in loco monasterium Abbatiale, quod cum instaurandum curasset, Abbatem & canonicos regulares ordinis S. Augustini in eo collocauit.

R 5

Hos,



1076.

Hos, anno 1079. amouit *Philippus* I. Rex Henrici filius, & monasterium ipsum S. *Hugoni* Abbati tunc Cluniacensi subiecit. Atque ex eo tempore Martinianum hoc monasterium coepit esse Prioratus à Cluniacensibus dependens. De monasterio isto plura qui uolet, legat librum cui titulus *Martiniana*, Parisijs sine nomine auctoris, anno 1606. excusum, & *Iacobum Breulium* libro de Antiquitatibus Parisiensibus,

## CAPVT LXIV.

*Grandimontensis Abbatia, in d. Lemonicensi.*

**P**ost reformationem Cluniacensem annis ferè centum, surrexit, & alia ordinis monastici in Gallia, restrictio, à monte, in quo inchoata est, *Grandimontensis* vocata. Hæc agente S. *Stephano* Abbate, legitur propagata, Natus *Stephanus* in Aruernia nobilibus parentibus, patre *Stephano*, Mureti oppidi domino (quod est in suburbano *Lemonicensi*, à quo & familia *Mureta*, ut refert, *Franciscus Bencius* in laudatione funebri M. *Antonij Mureti*, nomen accepit) ad *Milonen* Beneuentanum Archiepiscopum, in lege Domini, & monastica disciplina, erudiendus missus est. Hic spatium duodecim annorum probè edoctus & instructus cum fuisset, desiderio



derio eremiticæ vitæ inflammatus, discessit  
& multis eremis peragrans, locum tandem  
aliquem, quo liberius Deo vacare posset, sibi  
deligere cupiens, patriam repetijt, Muretum  
montem ascendit, eumque suo desiderio &  
voto aptum inueniens, pedem ibi fixit, & par-  
uo tuguriolo constructo, ibidem monasticam  
eremiticamque simul vitam aspernam du-  
cere coepit, anno Christi Saluatoris 1006. Pa-  
nisi ei obsonium, potus aqua, requies nudæ ta-  
bulæ, vestes viles & leues, quas nullo calore  
minuebat, nullo frigore perangebat, indu-  
mentum fuisse perhibentur. Talibus armis  
per quinquaginta annos diabolo deuicto, car-  
ne domata, & mundo triumphato, plurimis  
monachis, sanctitatis suæ fama, miraculo-  
rumque gloria allectis, & præceptis ad S. Be-  
nedicti regulam optimè informatis, congre-  
gationem suam inchoauit. Hanc cum aliquot  
annis sanctè & sapièter rexisset, tandè pieta-  
te mirificus in Dño quieuit anno, qui erat ab  
eius natiuitate 1056. ætatis suæ 80. & in mo-  
nasterio suo sepultus, apothecæ donatus est,  
ad Idus Februarias festo dicato. At non multo  
post tempore, diuino monitu Petro Abbati,  
eius successori, facto, monachi in eum, quem  
nunc habitant, Grandimontensem locum mi-  
grarunt: à quo, & monasterio, quod tunc no-  
uum construxerunt, in eoque S. Stephanum,  
quem secum asportauerant, condigno  
honore sepelierunt, & toti congre-  
gationi nomen aptatum.

Prio-



*Prioratus conuentuales à Grandimontensi Abbatia, ordinis capite dependentes.*

**E**spoiffæus, in diocesi catalaunensi. De *Expoisse.*

Fayensis, in tractu Niuenensi, ad Ligeim. De la *faye, en Niuernois.*

S. Mauritij, in d. Senonensi: de S. Mamire, aliàs *Vieux pont, vers Sens.*

Dymonensis, in d. Senonensi. De Dymon aliàs *Lenfourche, vers Sens.*

Castrouanensis, in d. Bituricensi. De Chasteau-*neuf en Berry.*

Haijus, siue Hayensis in d. Andegauensi. De la *Haye, en Aniou.*

Primauderius siue Primauderiensis, ibidem. De la *Primanderie, en Amiou.*

Monguidonus siue Monguidonensis, in d. cenomanensi. *Monguidon, an Mayne.*

Berseyus, ibidem *Bersay. an Mayne.*

Grandimontensis, ibidem. *Graumont, au Mayne.* (thezor.

Villerius, in d. Turonensi. *Villiers pres Mon-*  
Bosrahierus, ibidem. *Bosrahier, pres le Bourg*  
*S. Auerin sur Cher.* (non.

Pomeregrensis, ibidem. *Pomieregre pres Chi-*  
Puteocraprarius, in d. Pictonensi. *Puycheurier*  
*en Poicton.*

Chesnogalonensis, in d. Sagiensi. Chesne-  
gallou, vers Sees.

Bellomontanus, in d. Ebroicensi. *Beaumont, à*  
*Eureux.*

Grati



Grandimontensis, apud Potomagum. *Grandmont pres Ponen.*

Loyensis seu Louyensis, apud Dordanum Belgicæ opidum. *Louye pres Dourdan.*

Bolonensis siue Boloniensis, in tractu Blesensi. *Boulogne, pres, Chamboit vers Blois.*

Razans, in d. Meldensi. *Razarij pres Meaux.*

Chauanonius, in d. Claromontana. *Chauanoy au diocese de Clermont.*

Bonorum hominum monasterium, in neruore Vicenarum apud Parisios. *Les Bonshommes, du Bois du Vincennes.*

Maynelensis, in saltibus Escouanis: *Du Maynel, dans la foret d'Esconan.*

Montherbedoensis, in d. Magalonenfi siue Montis Pressulani. *Montherbeidu diocese de Magnelone, on Montpellier.*

Francoensis, in d. Cadurcensi. *Francon, au diocese de Cahois.*

Pinellus seu Pinelensis. *Pinel au d. de Tholose.*

S. Martialis, in d. Tudelenfi. *De S. Martial de Tudelle, en Nauarre.*

Er Fordiensis, apud Eboracum Angliæ urbem. *d'Erford, du diocese d'Toick.*

Auberbisterensis, aliàs Grandimontensis, in Anglia. *Aubercister en Angleterre.*

Ita Choppinus lib. 2. Monasticwn, tit. 1.

De Fratribus & monachis Grandis Montis fusè agit Iacobus Vitracius cap. 19. historiæ Occidentalis. Est inquit, altera fratrum Religio seu regularis institutio, quæ de Grandimon-

te no-



te nominatur, quorum caput & originale monasterium in partibus est Aquitania. Hi siquidem Grandisimontis fratres à principio ordinis prudenter instituerunt, quod monachi spiritualibus & diuinis officijs tantummodo intenderent, temporalium administratione & prouidentia laicis fratribus credita & relicta. Regulam autem & instituta Cisterciensis ordinis in alijs omnibus penè obseruant, excepto quod numquam carnes, postquam professionem fecerunt, de cetero licet eis manducare, quantacumq; egritudine pregrauentur.

Ordo & monasterium Vallis-Caulium, Gallice  
Le Prioré du Grand Val de Choux, in  
Ducatu Burgundia.

Vallis Caulium sita est in siluis, inter  
Diuionem & Augustodunum Ducatus  
Burgundia opida, in dioecesi Lingonensi, à  
qua ordo seu congregatio quædam Reformati  
monachorum ordinis S. Benedicti nomen accepit. De cuius quidem origine agit  
Chassenæus in Catalogo gloriæ Mundi partē  
4. confid. 58. Sunt autem in Burgundia Prioratus  
huius ordinis circiter triginta: Vt Vallis  
Benedicti iuxta Augustodunum, Vallis-Crescens,  
prope Sedelocum & alij. Sic ferè choppinus lib. 2. monasticon tit. 2. §. 20.

De monachis Vallis-Caulium, (corruptè  
legitur Callum) sic Vitriacus historia Ori-

enta-



entalis cap. 17. Sunt alij fratres in Episcopatu  
Lingonensi, monachi Deo amabiles, & valde Re-  
ligiosi, qui de Valle Callium nominantur. Hi  
Cisterciensis ordinis instituta victu & vestitu &  
Diuinis officijs & in omnibus alijs distinctè &  
diligenter obseruant, excepto, quod cellulas mo-  
ditas, causa maioris tranquillitatis & pacis sibi  
construxerunt, vt in eis, tempore meditationis,  
lectionis, orationis, tanto deuotius, quanto secre-  
tius clauso sensualitatis ostio intra cubiculum  
suum soli Deo vacare queant. Adeo autem ab  
omni exterioris curæ prapurio, corda sua cir-  
cumcidere studuerunt, quod nec greges, nec ar-  
menta, nec terras arabiles nec alias habent pos-  
sessiones, nec temporalibus occupati sollicitudini-  
bus & curis huius seculi, ab intentione spiritua-  
lium retardentur. Præfixerunt autem extra se-  
pta monasterij sui terminos, quos non licet eis  
euagando, praterire. Solus autem Prior cum ali-  
quo de fratribus suis, vt subiecta sibi visitet mo-  
steria, vel alia necessaria causa potest ex-  
ire, reliquis simplicibus fratribus  
in domo velut Iacob commo-  
rantibus.

{:o:}



CAP.



## CAPVT LXV.

*Monasterium S. Crucis, iuxta Aretium Italia  
opidum.*

1060.

**M**onasterium S. *Andreae de Anellana*, quod nunc S. *Crucis* dicitur, institutum est à *Ludolpho*, qui ob morum simplicitatem *Columbinus* vocabatur. Atque hinc originem sumpsit Congregatio *Columbæ*, circa annum Christi 1060. à dicto *Columbino* sic dicta. Produxit ea multos insignes viros, ut *S. Petrum Damiani*, *Guidonem Aretinum*, *Guimundum* & alios.

## CAPVT LXVI.

## EINHAMENSE

*Monasterium, ad Scaldim fl. apud Aldenardam  
Flandriæ opidum.*

An. 1063.

**H**uius originem ita describit *Meyerus* in *Flandriæ Annalibus*: Anno CIO. LXiiij. constructum à *Balduino Pio*, *Flandriæ Comite* monasterium *Einhamense*, illique attributum castellum *Einham*, eadem, qua ipse ab *Hermanno Montensium Comite* acceperat, libertate: permanente tamen eius loci patrocinio apud *Comites Flandros*. Institutus est ibi primus Abbas *Vvalterus*, ex

coeno-



coenobio diui Vedasti accitus. Ita Meyerus.

At verò monasterium istud longè antiquius, idemque à clericis, seu Canonicis regularibus primo inhabitatum testatur Chronographus Cameracensis, his verbis: Est locus super Scaldim fluuium, quem dicunt Iham, vbi modè his temporibus honorabilis vir Comes Godofridus & vxor sua Mathildis, matrona videlicet memorabilis (erat enim suum prædium suis vsibus opportunum) castro quidem munito nauigium, mercatum, teloneum, ceteraque negotia statuerunt. Infra castrum verò monasterium in honore sanctæ Mariæ, deputatis Canonicis, fundauerunt. Extrà autem Herimannus filius duo monasteria struxit, vnum sancto Laurentio, alterum verò sancto Saluatori. Nunc igitur locus, vtpote nouiter instructus, ex omni sufficientia floret, & tamè esset vberior, nisi crebro hostili incurfione quateretur, quod maximè ab inimicis Dei patitur, pro stabilitate regni & fidelitate Imperatoris. Haftenus ex Chronico Cameracensi, quod desinit ad annum Christi millesimum tricesimum.

**D**E Einhamensis, siue, vt veteres appellant, Eihamensis castri antiquitate atque excidio, haud abs re fuerit commemorare, quæ in manuscripto Sigebertini Chronici exemplari Lipsiâno leguntur:

Anno CIO. v. mortuo Othone Duce, Du-

S

catus

Consula &  
Sigeberti  
Chronico à  
nobis cum  
MSS. exem-  
plaribus  
collatum.

An. 1030.

An. 1005.



*Herimannum Godefridi & Mathildis filium nominat Chronographus Cameraensis, cap: 26. à nobis citatus.  
\* De Velsica vide Marchant Flandriam Lib. 1.*

*An. 1033.*

catus Lotharingæ datur Comiti Godefrido, filio Godefridi Ardennensis. Iste Dux Godefridus dictus est Eihamensis. Erat autem Eiham opidum & castrum munitissimum, & sedes principalis Ducatus regni Lotharici. Qui Dux Godefridus duxit Mathildem, filiam Herimanni Ducis Saxonum, filiam relictam Baldeuini Comitis (Flandriæ) qui erat filius Arnulfi Magni Marchionis (Flandriæ) De qua idem Godefridus genuit tres filios Godefridum, Gozcelonem, Hezcelonem. Hezcelo Comes, post mortem Ducis castrum Eiham cum prouincia Brabantensi suscepit, & diu tenuit. Hic enim genuit filium nomine Herimannum, & filiam nomine Berthildem, qui dum adhuc iuuenes essent, defuncti sunt, & in Ecclesia apud \* Felsekam sepulti: qui postea multis miraculorum signis claruerunt, sed à Viridunensibus monachis furtiuè ablati sunt. Alteram quoque filiam tradidit nuptui Reginero Montensi Comiti, simul cum tota prouincia Brabantensi. Deinde cum omnia sua ad votum ordinasset, relicto in manus Regineri castro & Comitatu, apud Verdunum effectus est monachus.

Anno CIO. XXXIIJ. in diebus Regineri Longicolli traditum est fraudulenter castrum, quod dicitur Eiham, & datum est Baldeuino Barbato, qui castrum funditus destruxit.

Anno CIO. LXIIJ. coenobium Einhamense  
à Bal-



à Baldeuino Comite, & Athela Comitissa  
constructum est.

Anno CIO. CXXXIX. deiecta est vetusta  
Eihamensis Ecclesia, & incepta est noua à  
Snellardo Abbate.

Einhamense porrò monasterium multa in a-  
gro Antuerpiensi, nominatim in vico Turnino,  
vulgò Duerne, olim pradia habuit, quæ Antuer-  
piense S. Michaëlis cœnobium, ordinis Præmon-  
stratensis, titulo permutationis siue emtionis,  
nunc possidet. Ex quo videri fortasse queat, Tur-  
ninenses S. Fredegandi monachos, quorum cœ-  
nobium, circa annum Christi octingentesimum  
octogesimum secundum, à Normannis vastatum  
tradunt, ad munitum Einhamense castrum ali-  
quando aut confugisse, aut domicilium collo-  
casse.

An. 882.

De S. Fredegando, eiusque apud Turninum  
monasterio, Molanum lege in Natalibus Sancto-  
rum Belgij.

17. Iulij.

# ALCIACENSE S. SILVINI

Monasterium, apud Hesdinum Artesia  
opidum.

**A**QVO cœnobium istud sit inchoatum, non-  
dum certò comperi. Loci antiquitatem ex  
eo colligas, quòd S. Siluinus Episcopus (cuius no-  
men Martyrologij Romani tabulis, ad diē XVII.  
Febr. est adscriptum) in Alciaco obijisse legatur

An. 715.

Cœnula ho-



die S. Ri-  
charij Ab-  
batia. ord.  
S. Bened. in  
tractu Ca-  
letano.

An. 1072.

An. 1077.

Lib. V.  
Decretal.

Epist. 350.

Anno Christi septingentesimo decimo, quinto, ibi-  
demq<sup>3</sup> tunc conditus sit à monachis Centulensi-  
bus, qui S. Richarij hodie nuncupantur. Ex quo  
effici v<sup>o</sup> detur, Alciacum olim cellam seu Priora-  
tum fuisse, Centulensi cœnobio annexum.

De Alciacensis autem cœnobij primis Abbati-  
bus hæc recitat Iperius in Chronico suo Bertinen-  
si Anno millesimo septuagesimo secundo Ab-  
bas noster Heribertus Suelgerum huius loci  
monachum, misit ad Alciacum locum no-  
strum, & eum ibidem primum Abbatem insti-  
tuit, sed vix duobus annis abbatizavit. Quo  
defuncto Heribertus successorem ibi statuit  
Geruinum, huius loci monachum. Quo depo-  
sito Heribertus instituit ibi Norbertum mo-  
nachum nostrum, anno millesimo septuagesi-  
mo septimo.

Solet enim Alciacensibus Abbas præfici è nu-  
mero monachorum Bertinensium; qua de re ex-  
stat Rescriptum Innocentij Tertij Pontificis  
Maximi.

Meminit & S. Bernardus Clareuallensis, Ab-  
batis & Ecclesiæ de Alchi, incultam ei terram  
in elemosynam dari postulans.

Quomodo autem Cluniacense institutum a-  
pud Alciacenses sit introductum, ita narrat idem  
Iperius: Lambertus Abbas noster duabus pri-  
marjis Ecclesiis huius diœcesis, scilicet Mo-  
rinensi, & Sithiensi reformatis, totum se Clu-  
niacensibus indulgens, ad vicinas Ecclesias  
refor.



reformandas, mentem intendit, oportunitatem nanciscens, nunc ex Ecclesiarum vacationibus, nunc ex monachorum dissensionibus. Anno itaque millesimo centesimo primo, Ecclesiæ Alciacensis (cui de iure, consuetudine, ac priuilegio consuevit, & debet, ex isto monasterio Abbas prouideri) Lamberto Abbate defuncto, Odonem Cluniacensem monachum, virum exemplarem, ad ordinem hîc reformandum pridem missum, diligentia Hugonis, tunc Cluniacensis Abbatis, Alciacensis Abbatem præfecit. Qui multa ibidem per religionis aduersarios aduersa perpeffus, illis fugientibus ipse cum viris timoratis, sibi adhærentibus, idem cœnobi-um ferè viginti annis, secundum regulam, & exteriorem abundantiam honorificè rexit. *Hactenus Iperius.*

An. 1101.

## CAPVT LXVII.

*Bantum vulgo Bantz in d. Herbipolensi.*

**F**undatum id legitur in honorem S. Dionysij anno 1071. ab *Abberarde* Comitissa de Bant quæ ibidem sepulta est. Fuit primum sexus vtriusque cœnobi-um; sed virginibus amotis, post vastationem rursus pro monachis ædificatum est anno 1127. ab Othone Episcopo Bambergensi & Pomeranorum Apostolo. Ita Bruschi- us citato loco.

1071.



*Rota, seu Rotense monasterium, ad Oenum fl.  
supra Vvasserburgium.*

**D**E fundatione huius monasterij nihil certius potest tradi, quam ipsum Henrici quarti Imperatoris diploma, quod ibi integrum ac illæsum extat.

*In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Hēricus diuina fauente clementia quartus Romanorum Imperator Augustus; ideo fidelis nostri Cononis Palatini memoriam posteris transmittimus, quæ præterea semper in benedictione erit, quod Deum & S. Petrum omnium rerum suarū heredem reliquit. Habuit enim duos liberos, quibus substantiam suam diuisit, Cononem scilicet & Irmingardam, quæ cum marito traderetur, portionem sibi debitam accepit, & de parte reliqua omnē calumniam legitime refutauit. Deinde filius quoque duxit vxorem, celebratisq; nuptijs, dum multi conuenissent, inierunt consilium parentes cum filio & nuru sua, ne in die bonorum immemores essent malorum, & vt illi, qui omnia dedit, aliquid tribuerent. Conuenerunt ergo in hoc, vt in loco & fundo, qui dicitur Rota, quem præterfluit Oenus fluuius, qui etiam in Comitatu Arnolphi Comitatus monasterium construerent, ibiq; monachos Deo famulantes congregarent. Placuit sic filio, placuit nuru, simulq; cum parentibus ad altare Sanctorum Martini et Amiani, procedentes tradiderunt Deo & SS. eius*

*quid*



quidquid in regno nostro possederunt, si absq<sup>3</sup> liberis obirent. Nurus quoq<sup>3</sup> dotem quam ex marito acceperat, monasterio in legitimam possessionem tradidit, cum omni patrimonio quod in Lotaringia possederat, si ex eodem marito Conone liberos non generaret. Euolutis autem aliquot diebus, filius ad seruitium nostrum vocatus, in bello cecidit, & sic omnis hereditas ad monasterij ius, cui traditum fuerat, redijt. Orbatus verò pater tota mente ad Deum conuertitur, sublatoq<sup>3</sup> corpore filij, & assumpta nuru, quæ sine prole remanserat, ad monasterium properat, exequias celebrat, celebratisq<sup>3</sup> exequijs traditionem renouauit. Dat socer hereditatem, nurus dotem non conditionaliter, vt prius, sed perfectè Deo & Sanctis eius in perpetuum; offeruntur viri militares, qui dicuntur ministeriales, cum prædijs & possessionibus suis, quos domi forisq<sup>3</sup> custodes lateris habebat, quibus etiam iura statuit, vt monasterij gloriam teneant, & Abbatibus libere ac regulariter substituendis honesto loco, gradu & ordine deseruiant. Traduntur familia diuersæ sexus & ætatis, quibus etiam tertiam partem seruitij sui relaxauit; hisq<sup>3</sup> dispositis, traditionem consummat, & prædia plurima Deo & fratribus regulariter viuentibus confert &c. Confirmauit hæc omnia Henricus Imp.

Ratisbonæ anno 1073.

Ita Hundius.



*Schyrense monasterium, vulgò Scheyrn, in  
Germania.*

1077.

**S**chyrum siue Schyrense monasterium, supra Pfaffenhouen situm Comitum initio Schyrensiū magnificū castrum fuisse legitur, quod construxit *Arnolphus* Comes Chirensis, filius *Arnoldi* mali. In monasterium verò conuersum est hoc modo: Inchoata erat ab *Ottone* & *Alberto*, nobilibus viris, solitudinemque amantibus hominibus, in dictorum Comitum ac Principum Schyrensiū ditione, montanis videlicet *Bauariæ*, iuxta altissimum eius prouinciæ iugum, quod accolæ *den Vvendelstein* vocant, Eremitica quædam cella & Ecclesiola, annum Christi circiter 1077. consentientibus *Ottone* Schyrensi Comite, eiusque vxore *Haziga*, Aragonum Regis filia, & vtriusque filijs, *Eccharde*, *Bernhardo*, & *Ottone*, Principibus Schyrensis. Hæc cella, iussu *Ellenhardi*, Frisingensis Episcopi, ea tempestate ægrotantis ac grauitè decumbentis, à Pontifice quodam Polensi consecrata est. Decedente verò paulò post ex hac vita Principe *Ottone*, anno nimirum Christi 1079. *Haziga*, vidua *Ottonis* cum filiorum suorum consensu, ex humili ac Eremitarum domo celebre monasterium construere, ac dotare decreuit.

Transtulit verò monasticam sedem in paulò amœniorem locum, qui hodie adhuc à præ-

ter-



terfluente pisculentissimo fluuiolo *Vischbach* dici solet, & quatuordecim miliaribus à Schyro, septem à Monachio, duobus à S. Quirini Tigurino monasterio abest, ad pedem montis *Khnezagel* cognominati in Aibligensi districtu situm: vbi adhuc hactempestate duo sunt templa, quorum aliud S. Martino, alterum B. Virgini dicatum est, & Præpositura monasterio Schyrensi incorporata. Hunc locum Haziga fundatrix & pagis & vineis plurimis ditauit: in eoque cœpit monastica D. Benedicti congregatio. In hoc fundatrix mortua & humata; at postea Schyrum translata est. Sed nec iste locus diu satis placuit: post sex enim annos à prima translatione iterum mutata est sedes: & secundo translatum monasterium è montanis in paulo liberiores agrum ad Glauum fluuium, qui non procul inde in Ambram cadit, *Vsenhofum*, antiquitus *Glanek* à fluuiio dictum, tribus miliaribus à Schyrensi monasterio situm. Illic in monte S. Petri (vbi hodie adhuc templum visitur ab Ottone Hazigæ fundatricis filio & à Bertholdo Comite de Burgheim ante duas aras ibidem sepultis, constructum) tertio inchoatum est monasterium, sub primo adhuc Abbate *Erchenboldo*. Sed post sedecim annos propter aquarum in sublimi monte S. Petri defectum, locus iste etiam parum commodus monachis visus est; quartoque translatum est coenobium nuper inceptum, in ipsam Principum Schyrensum, vnanimi eorundem



omnium consensu auitam arcem ac sedē, amplam illam quidem, sed, admodum ruinosam ac ferē desertam. Hæc Scyrensis monasterij initia sunt & exordia certissima. In media Ecclesia sublimis est tumulus *Ottonis* fundatoris, ac *Hazigæ* fundatricis.

In ingressu domus capitularis est alius de terra eleuatus tumulus, sub quo 120. vtriusq; sexus Comitum ac Principum Schyrensiū corpora sita, & in subterranea crypta, quasi ordine collocata esse dicuntur.

## CAPVT LXVIII.

## AQVICINCTVM

*Ad Scarpum fl. secundo milliari à Duaco.*

*An. 1079.*

*De quo vide Molanū in Natal,*

**A**no millesimo septuagesimo nono, incoeptū est coenobium sancti Saluatoris in insula, quæ dicitur Aquicinctus, à viris illustribus Sichero videlicet atq; Vualtero. Qui Sicherus habebat uxorem nomine Mathildem, nobilem quidem natalibus, sed nobiliorem moribus. Quæ coniugem suum crebrius monendo, ad hoc opus aggrediendum incitauit, ideò maximè, quod sanctum quendam Gordanium inibi quondam eremiticam vitam duxisse ferebatur. Vnde factum est, vt præfati viri hinc crebro colloquentes se mutuò hortarentur, & deliberantes An-

fellum



bellum de Ribodimonte, nobilissimum virum adeunt, & ab eo insulam illam, quæ eius erat iuris, deprecantur. At Ansellus auditâ petitione eorum, gauisus est valdè, & sine dilatione gratis, quod petebatur, concessit. Itaque ex condicto pariter properantes, Gerardum II. Cameracensis vrbis Præsulem aggrediuntur, ad cuius diocesim tunc locus ille pertinebat, quid animo gerant, pandunt, & quia eius parochiani erant, vt voto eorum assentiat, exposcunt. Quibus auditis venerandus Pontifex libentissimè annuit, receptoque fundo de manu Anselli, quem ab eo in beneficium tenebat, cum arundineto adiacente, eis tradidit. Quo accepto, cœnobium illic construere cœperunt, & de suis allodijs competentè, pro vt poterant, ditauerunt. Aggregantur ibi Deo deuoti viri, se cum facultatibus suis Christo deuouentes, eius grex pusillus esse gestientes. Quorum curam memoratus Præsul gerens, duos ex monachis Hasnoniensis cœnobij, honestæ vitæ, ad instituendos eos eis misit; è quibus vni, Alardo nomine, curam commisit, & Abbatem ordinauit. De quo quia se occasio præbuit, libet paucis aperire, cuius simplicitatis, cuiusque bonitatis fuerit. Is etenim, si res exigeret, vt quoquam progredi debuisset, non meliorem equum sibi eligebat, sed & sæpe animal, quo vehebatur, capistro pro freno regebat. Residentibus monachis in claustro, in medio eorum sedebat, & veluti quilibet ex eis, cum sobrietate agebat,

SS. Belgij. 9.  
Ostob. Alij  
Anselmum  
nuncupant.



agebat, familiariter cum eis colloquens, & dominum eorum se esse obliuiscens. Si quis ei venerationē impendere voluisset, osculando manus, vel genua, seu alio quolibet modo, cum quadam animaduersione prohibebat, dicens, se eis hunc morem indulgere, futurosque post se adferebat huiusce exactores reuerentiæ. Nec ista tamen referentes, in eos inuehimur, qui hæc more Ecclesiastico sibi congruenter sinunt fieri. Præfatus Pontifex cernens eosdem fratres haud segniter instare rebus coeptis, eamdem Ecclesiam omnimodis, quantum perualuit, libertauit; propter quod baculum regiminis in manu sua retinuit ut ei daret, quem sibi congregatio canonicè eligeret. Præterea contulit eis quædam altaria, sed & innumera impendit beneficia. Erat enim in Ecclesia sanctæ Mariæ Cameracensis, cui idem Gerardus præerat Episcopus, venerabilis Decanus nomine Hugo, qui tam eundem Episcopum, quàm alios fideles viros Cameracenses vtriusque ordinis animabat, ut liberales existerent præscripto cœnobio. Ipse quoque omnem pœnè substantiam suam illò conuehebat, vnde monasterium & habitacula fratrum primitus ædificauit.

*Hæc ex manuscripto Sigeberti Gūblacēsis Chronico, quod Aquicincti, à quodā eius loci, ut apparet, monacho auctū adseruatur fideliter hausim⁹.*

*Quomodo autem Cluniacensis instituti reformatio apud Aquicinctinos sit introducta, narrat*

*Iperius*



*Iperius in Chronico suo Bertinensi:* Anno Domini millesimo centesimo decimo, monasterium Aquicincti ad religionem reparatum est & reductum per Dominum Lambertum Abbatem nostrum, cum ex monachorum dissensionibus nactus esset opportunitatem, monachis Aquicincti inter se tumultuantibus, in tantum, ut suum Abbatem expellentes deponerent. Hoc itaque Dominus Lambertus considerans, per secretos internuntios illos induxit, ut virum venerabilem, moribus egregium, ac prudentia, facundiaque decoratum sibi sumant in Abbatem, quod collapsa eorum Ecclesia releuetur. Et eis nominari fecit Dominum Aluifum monachum nostrum reformatum, Ecclesie sancti Vedasti tunc intendentem. Igitur Aquicinctenses monachi Aluifum, instinctu Lamberti Abbatis nostri, in suum Abbatem elegerunt, qui consilio & auxilio eiusdem Lamberti, eandem Ecclesiam reformavit, & in spiritualibus ac temporalibus sic exaltauit, ut eius nomen celebre fieret ubique, & idem Aluifus tandem eligeretur in Episcopum Atrebatensem. *Haftenus Iperius.*

*Est verò cœnobium istud longè notissimum à Gymnasio Aquicinctino, quod in Duacena Academia R. P. Ioannes Lentaillerus huius loci Abbas excitandum curauit, & Patribus Societatis Iesu regendum commisit.*

**D**E Aquicinctensis, siue Aquicinēsis, ut veteres nuncupant, cœnobij primis Abbatibus,

*eorum.*

An. 1110.

*De Lamberto Abbate Bertinensi  
plura vide.*

Cap. 17.  
II. & 40.

Cap. 40.



*eorumq; rebus gestis, in manuscripto Sigeberti  
Chronici exemplari, quod Aquicincti ab eius loco  
monacho auctum exstat, ista me legere memini*

**An. 1086.**

Anno CIO. LXXXVI. consecrata est Ecclesia huius Aquicinensis cœnobij, in honore Domini nostri Iesu Christi, eiusdemque genitricis S. Mariæ, à Domno Gerardo Cameracensi Episcopo, decretumque ab eodem Præsule, ut festiuitas illorum Sanctorum, quorum pignora hunc allata fuerant, omni anno agatur in hoc loco.

**An. 1087.**

Anno CIO. LXXXVII. obiit Alardus primus Abbas huius Aquicinensis Ecclesiæ. Cui successit Alelmus, ex Normannia, de cœnobio Becci.

**An. 1088.**

Anno CIO. LXXXVIII. obiit Alelmus II. Abbas Aquicinensis cœnobij, qui quantæ bonitatis fuerit experti sunt febricitantes, dum ad tumulum eius dormientes, febrem cum somno sæpius deposuerunt. Cui successit Haimericus, Atrebatensis monachus, litteris eruditus.

**An. 1090.**

Ea tempestate venit Aquicinctum quidam nomine Gelduinus, qui ex monacho Laudunensi Abbas S. Michaëlis de Terrascia, relicta Abbatiâ ob amorem Domini reclusus vixit Aquicincti.

**An. 1092**

Anno CIO. XCII. Gerardus Episcopus Cameracensis obiit, qui nostrum cœnobium valdè dilexit, & sublimare studuit. Gualcherus ei succedit.

*Alij Gualtherus,*

**An. 1093.**

Anno CIO. XCIII. Ecclesia S. Georgij Hefdinensis traditur Ecclesiæ Aquicinensi.

Anno



Anno CIO. XCV. expulso ab Episcopatu Gualchero, Manasses ei succedit, *Obijt Rainoldus Remensis Archiepiscopus.* An. 1093.

Anno CIO. XCVI. Ansellus de Ribodimonte, fundator Aquicinenſis Eccleſiæ, cum Godefrido Bullonio, Duce Lotharingiæ, alijsq; Principibus Chriſtianiſ, ad terram ſanctam Turchis eripiendam proficiſcitur.

Anno CIO. C. Robertus Comes Flandrenſium ab Hieroſolymis repatrians, detulit ſecum brachium S. Georgij martyriſ, quod Eccleſiæ Aquicinenſi tranſmiſit, per venerandum Haimericum Abbatem ipſius loci, illatum Aquicincti III. Kal. Iulij. An. 1100.

Anno CIO. CII. Obijt Haimericus tertius Abbas Aquicinenſis, cui ſucceſſit Gelduinus. An. 1102.

Anno CIO. CV. Manasse Cameracenſi Epſcopo accepto monachico habitu, Odo primus Abbas ex cœnobio S. Martini Tornacenſis Eccleſiæ, in Epſcopatu ei ſuccedit. An. 1105.

Anno CIO. CIX. Gelduinus quarto loco Aquicincti Abbas, ſaſtidiens onus regiminis, potiſſque eligens otium olim actæ recluſionis, reliquit curam animarum, & iterum effectus eſt recluſus apud S. Bertinum. Cui ſucceſſit in cura paſtorali Rotbertus, eiſdem cœnobij monachus. An. 1133.

Anno CIO. CXI. Robertus Aquicinenſis cœnobij quintus Abbas, ægrè ferens inſeſtatione quorundam ſæculariũ vexari Eccleſiam ſibi creditam ſimul quia hoc ei imputabatur, An. 1135.

tur,



tur, consilio accepto dimisit Abbatiam, succedente ei Domno Aluifo.

An. 1130.

Anno CIO. CXX. defuncto Domno Roberto Atrebatensi Episcopo, succedit ei in Pontificatu Domnus Aluifus Aquicinenfis Ecclesiæ sextus Abbas, vir magnæ religionis & singularis seueritatis: Cui in Aquicinenfi Ecclesia substituitur Domnus \* Gozuinus septimus Abbas.

\* De B.  
Gozuino  
Abbatibus  
in Natal.  
SS. Belgij  
vita  
Aquicinen-  
si apud  
nos MS. est.

Anno CIO. CLI. in ciuitate Atrebatensi post beatæ memoriæ Domnum Aluifum Episcopum, qui in expeditione Hierosolymitana obierat, ordinatus est Godescalcus IV. Episcopus.

Anno CIO. CLV. in insula Aquicinenfi dedicata est Ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ à Godescalco Atrebatensi Episcopo, mense Iulio.

An. 1166.

Anno CIO. CLXVI. piæ memoriæ Domnus Grozuinus, Abbas Aquicinenfis septimus, caritate illustris, amator pacis & religionis, VII. Id. Octobris circa mediam noctem, die Dominica de hoc sæculo transijt. Quo in Ecclesia B. Mariæ semper virginis, in loco ubi orare consueuerat, cum magno filiorum suorum gemitu tumultato, Alexander, Prior eiusdem Ecclesiæ, ei octauus succedit.

An. 1173.

Anno CIO. CLXXIII. Alexander Abbas Aquicinenfis pretiosas plurimorum Sanctorum reliquias de diuersis Ecclesiarum locis congregauit, quas in theca auro & argento ad hoc præparata decenter locauit.

Anno



Anno CIO. CLXXIX. Simon Abbas istius loci, in reditu à Concilio Romano Clareualem diuertit, & reliquias Domini Bernardi, eiusdem coenobij Abbatis, petitas obtinuit, & in hoc Aquicinenſi monaſterio decenter reſoluit.

An. 1179.

Anno CIO. CLXXX. Dominus Simon abbas Aquicinenſis nonus, communicato cum fratribus ſuis conſilio, Eccleſiam S. Saluatoris, menſe Septembri deponit, eò quod non ſufficeret tam parua baſilica magno conuentui Aquicinenſi.

Anno Chriſti CIO. CLXXX. anno à conſtructione eiſdem Eccleſiæ centeſimo III. menſis Martij die II. iacta ſunt fundamenta iſtius nouę Aquicinenſis Eccleſię. Primum lapidem in fundamento Balduinus Comes iſtius pagi, manibus ſuis cum cemento poſuit.

An. 1181

Hugò, Cameracenſis quondam Decanus, qui Eccleſiæ Aquicinenſi in principio ſuę prouectionis, magno fuit adminiculo, à proprio remouetur ſepulchro. Nam nouę Eccleſiæ fundamentum per ipſum recto tramite ſuum dirigebat curſum. Lapis in ſepulchro eiſ repertus eſt, in quo hoc ſcriptum continebatur:

Hic eſt ſepultum corpus Hugonis Decani S. Marię Cameracenſis Eccleſiæ, qui conſtruxit clauſtrum, cum porticu eiſdem Eccleſiæ, capellamque S. Gingulſi. Inſuper, vt cætera taceamus, multis annis à carne abſtinuit, ſuper plumam non iacuit, niſi fortè in hoc mo-

T

naſte-



nasterio, iussu Abbatis. Hic construxit claustrum, porticum, Eleemosynariam, capellamque B. Mariæ, & multa alia beneficia fratribus contulit. Hic in festiuitate omnium Sanctorum, postquam Missam celebrasset, graui infirmitate percussus, monachus effectus, obiit in bona confessione & vera fide, anno Domini CIO. XCIII. VI. Idus Decembris.

An. 1202.

Anno CIO. CCII. Obijt Domnus Simon Abbas nonus; cui successit Domnus Adam decimus.

Anno CIO. CCIV. Domnus Adam obiit. Cui successit Domnus Vuillelmus vndecimus, postmodum Abbas sancti Amandi, & Romam profectus & inde rediens factus est monachus Clareuallensis.

Ipsa autem facta Abbate S. Amandi, domnus Simon Abbas XII. ei successit. Is incepit am Ecclesiam ab auunculo suo Simone nono Abbate feliciter consummauit, & duobus campanilibus cum vndecim campanis studiosius insigniuit.

Anno CIO. CCVIII. Vuillelmus noster Abbas vndecimus, Abbas S. Amandi efficitur. Cui successit Domnus Simon Abbas XII. de quo supra diximus.

An. 1212.

Anno CIO. CCXIX. Honorius Papa II. concessit domno Simoni Abbati Aquicinctensi XII. & successoribus eius, vsum mitræ & anuli.

*Haftenus ex manuscripto Sigibertini Chronici*



nici exemplari Aquicinctino, quod pro sua humanitate nobiscum communicavit vir Ecclesiasticarum Belgij antiquitatum peritissimus, Franciscus Barrus, Prior Aquicinctinus; cuius varia de Belgicorum monasteriorum exordijs scripta utinam typis aliquando evulgentur.

## CAPVT LXIX.

AETLENSE monasterium, vulgò Aetl.

**E**st id situm in ripa Oeni, supra Vvasserburgium, & fundatum ab Arnolpho, Comite Damasiano, amicissimo Henrici quarti Imperatoris, ibidem cum vxore Gisala sepulto circa annum 1080. quod quidem per fratrem eius *Fridericum* dictum *Rocho*, ad tantam egestatem redactum est, vt egrè tres monachos alere posset. Engelbertus Comes Vvasserburgensis postea refecit, ac collaple-  
tauit: Limpurgium arcem seu castrum suum vicinum solo æquavit, quod otio & solitaria vitæ ac disciplinæ strepitus ciuiles atque aulici minimè conuenirent: demum Vvasserburgium cum toto famulitio migravit, atque ibidem de cetero habitauit.

Et hoc circa annum Domini 1160.



T 2

CAP.



CAPVT LXX.  
FIDEMIVM,

*Vulgò Femy, in finibus agri Cameracensis, ses-  
quimilliari à Landresio Hannonia opido.*

An. 1081.

**H**ic Vic cœnobio initium dedere, anno Christi millesimo octogesimo, nobiles Angli duo, qui patriis sedibus abierunt, ut incogniti pacificè Deo alicubi seruirent. Cumque Romam sese contulissent, Pontifex Maximus Benedictinam ipsis regulam præscripsit. Alter eorum, Stephanus nomine, primus huius loci Abbas fuit, estque basilica eiusdem loci S. Stephano protomartyri dedicata.

Hoc porro cœnobium egregiè auxit Nicolaus Episcopus Cameracensis, eo nomine primus, ut arbitror, itemque Cathedrale Canonorum eius urbis collegium: adeò ut episcopus iste, & Canonici Cathedrales, secundarij (ut sic loquar) fundatores habeantur. Fuit autem ab annis ampliùs centum viginti, inter Francorum Reges & Belgarum Principes, lis & quæstio de cœnobij huius situ, utrorum videlicet in ditione illud situm existat. Vulgò ditionis Cameracensis esse creditur; sicque arbitri, siue legati partis vtriusque cum Mondiderij anno millesimo sexcentesimo tertio conuentum agerent, iudicarunt.

An. 1603.

*Hæc ex manuscripto quodam codice, aliis-*

*que*



que monumentis, Iulianus Ligneus, sacerdos Cameracensis, vir eruditus, nobis per literas significavit.

## AFFLIGEMIVM,

*Tertio milliari à Bruxella, vrbe regia.*

**V**etherico monacho S. Petri Gandensis, Romani Pontificis auctoritate, per Flandriam ac Brabantiam, ad clericorum præsertim concubinariorum, populi que mores emendandos, prædicante; inter alios quinque \* milites ad poenitentiam sunt conuersi: quos inter Gerardus, cognomento Niger, eminebat. Qui quidem seculo renuntiantes Affligemiensis in Brabantia coenobij principia incohauerunt anno millesimo octogesimo tertio. Fuerat is locus antea non nisi latrocinantium conuenticulis aptus, tertio verò post anno Gerardus Cameracensis Episcopus basilicam Affligemiensem dedicauit. Sexto autem anno primus Abbas Fulgentius ibidem est constitutus. Hæc Balduinus Niniuensis in Chronico suo manuscripto. Meyerus in Annalibus Flandriæ, concionatorem illum vocat Gedericum, dicitque monachum fuisse Blandiniensem; ex verbis tamen Balduini Niniuensis videri fortasse queat, eum monachum fuisse ad D. Bauonis, quod coenobium istud proprie sancti Petri Gandensis nuncupari soleat.

\* Media ætate scriptoribus milites sunt quos hodie quites nuncupamus.

An. 1083.



Idem Meyerus milites, siue Equites sex nominat Geldulphum, Theobaldum, Emelinum, Hargerum, Viboldum, & Gerardum: quos ait ad Hannonem Episcopum Coloniensem, pro criminum remissione, à Gederico primum missos esse, indeq; reuersos, consilio eiusdem, in Affligemiensi solitudine cellam edificasse. Ceterum de anno foundationis legi olim solent apud Affligemienses versiculi isti:

Annus millenus octogenus, quoque ternus  
Dum fertur, locus hic principium reperit.

*Vide Sigeberti Chronicon à nobis cum MSS. codicibus comparatum.*

DIPLOMA HENRICI COMITIS BRACBATENSIS, ET  
fundatoris coenobij Affligemiensis, qui Tornaci in hastiludio  
an. 1096 occupauit.

*Notent antiquis  
Brabantia  
studiosi.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.  
Ego Henricus diuinâ propitiante clementiâ \* Bracbatensis patriæ Comes & Aduocatus, omnibus tam præsentibus quàm futuris fidelibus, omne datum optimum & omne donum perfectum descendens à patre luminum. Notum vobis facimus qualiter miles quidam meus Gerardus nomine, cum alijs quibusdam, quos æquè diuina gratia & præuenit & subsecuta est, balteo militari deposito, ut meliorem



rem inuenirent hereditatem, militiam Iesu Christi professi sunt, & in Comitatu meo, loco ab antiquis Hasslingem vocato, modo autē Nouo monasterio appellato, habitationē saluosam adhuc & desertā elegerunt, vt quantō amplius remoti à secularibus, tantō sub regula beati Benedicti Deo seruirent familiarius. Erexerunt autē Ecclesiam in honore beati Petri Apostolorum Principis, vt, vbi antea erat spelunca latronum, habitatio inciperet tandē rectē viuientium, & qui erat locus rapinæ & homicidij, mutaretur in possession. in pacis, & fructus eleemosynarum. Quoniā m verò locus ipse ad Comitatum nostrum hereditario iure videbatur pertinere, ego fraterq; meus Godefridus ab eisdē exorati fratribus, & pro remedio animarum nostrarum omniumq; antecessorum nostrorum, legitimē, & ex toto liberē ad altare ipsius Ecclesiæ tradidimus: præterea quoniam sapissimē probata valdē nobis placuerit militaris eorum industria, tam pro seculari eorum amicitia, uam pro remuneratione diuina, de eodem alodio adiacente, & ad seruitium nostrum remanente, in siluis & pratis, in campis & pascuis, in piscationibus & venationibus omnem eis vsum habere nobiscum. Vt autem per amplius beneficium maius ad Dei seruitium cresceret eis desiderium, capellam nostram liberā in Vuauera subterius sitam, cum tota decimatione superioris Ecclesiæ, cum debita institutionendi presbyteri subiectione, cum terris

*Vuauera-  
sis capella  
datur af-  
fligementi-  
bus.*



\* muneris

insuper aliquibus nostræ culturæ subsistentibus, cum telonio & maceria cum molendinis & curtibus ad nos in eadem villa pertinentibus, huic traditioni legitimè addidimus. Quod si, vt verè de misericordia Dei præsumimus, ad meritum eorum accesserit & \* numeris Abbatem eligere, baculumque super altare positum ipsi comittere, nullo Principe, nullo Episcopo contradicente, in eorum erit potestate, quatenus secundum eorum regulam eligatur, qui eligendus est, & per ostium Iesu Christi ingrediatur qui ordinandus est, remotâ omni alienâ contradictione & suspectâ occasione. Nos verò de aliqua sibi illata iniuria si appellare voluerit, quasi pro animabus nostris, pro eis nos exponemus, nec quidquam aliunde de loco illo nisi orationes fratrum, & Dei retributionem recipere volumus. Et vt hæc nostra traditio, vel conditio omnibus retrò seculis rata & inconuulsa permaneat, charta & atramento rem vti est, notamus & roboramus. Ante omnia Dominum omnipotentem & Sanctos eius citamus, & fideles nostros, qui huic traditioni interfuerunt, idoneos testes subterfirmamus. Steppo Brussellensis, & frater eius Vualterus, Balduinus de Aloft, Gerardus de Cumberfaca, Adalbertus Snakart, Theodericus de Budengem, Anselmus de Erpe, Sigerus frater eius, Herebrand de Hordingoschen, Folcardus & Godescalcus filij eius Ingelbertus Kaluastert, Sigerus Sanderlensis Onulfus  
de Mil-



de Miluerschen, Gislebertus pe Laca, Arnul-  
fus & Obertus de Ordengehem, Henricus Ca-  
meracensis Ecclesiæ Canonicus, Alardus Ca-  
nonicus, & Godero & Meinerus Clerici de  
Louania, Ioannes Canonicus de Petin-  
gehem, Gerardus de Leneca, Godefri-  
dus de Lathem, Franco, Amandus, Hugo de  
Brusselle, Amulricus de Beckensele, Higerus  
de Aloft, Vualterus de Asca, Vualterus de  
Hamme, Actum est hoc anno ab incarnatio-  
ne Domini CIO. LXXXVI. Regni verò Hen-  
rici Regis 35. Præsulatus Gerardi Episcopi x.

An. 1089.

DIPLOMA GODEFRIDI  
PRIMI, COGNOMENTO BARBA-  
ti, Ducis Lotharingæ & Comitis Loua-  
niensis, qui fuit frater Henrici  
Comitis Bracba-  
tensis.

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis,  
ego Godefridus, Dei miseratione Dux &  
Marchio Lotharingæ, & Comes Louanij,  
audiens Apostolum exhortantem, dum tem-  
pus habemus operemur bonum ad omnes,  
maximè autem ad domesticos fidei, fratres in  
cœnobio Affliginiensi, Deo & sancto Petro  
seruientes, terrenæ meæ hereditatis partici-  
pes facere disposui, vt in cælo heredum Dei,  
& coheredum Christi consortio merear ag-  
gregari. Quia enim idem cœnobium in meo  
allodio fundatum, à me & fratre meo Comi-  
te Henrico libertate donatum, Deo incre-

T s

men-



mentum dante, in breui plurimum creuit, tam fratrum numero, quàm religionis testimonio, congaudens eius prouectui, & cooperari volens profectui, in quibuscumque sciui, vel potui, illud honorare, exaltare, & munire dignum duxi. Veniens igitur ad altare sancti Petri, cum duobus filiis meis Godefrido & Henrico, plurimis hominum meorum, tam liberis, quàm seruis presentibus, astante etiam Petro, loci ipsius Abbate, cum tota congregatione, quod immunitatis siue libertatis iam olim cum fratre meo donaueram, filiis meis collaudantibus, innouaui. Quidquid etiam ex meo allodio, vel emtione vel hominū meorum collatione fratres acquisierant, cum omni usu, iure & seruitio ad ipsam terram pertinente, in siluis, pratis, aquis, & pascuis liberè tradidi. Cellam quoque sanctæ Mariæ in VVauera, sicut etiam cum suis appenditijs præfatus frater meus donauit, item cellam sanctæ Mariæ in Fliderbeca, quam ego eidem Ecclesiæ subieci, terram in Selleka, quam à Stephano de Bunlar fratres acquisierant, terram apud Cobengé, quam Arnulfus de Rode cum vxore sua Mabilia eis vendiderat. Item terram in \* Itte, quam à VValtero Amandi filio emerant, & cetera omnia, de quibus ego, vt liber Ecclesiæ aduocatus donum suscep- ram, super prædictum altare legitimè reddi- di. Licentiam etiam eis indulsi, emendi, & acquirendi, quæ possent ex allodio meo, quod homines mei à me in beneficio tenebant,

& à te-

VVauera.

Fliderbe-  
ca.

\* forte  
Itte.



& à telonio meo in omni terra absolui. In electione Abbatis eorum nihil iuris me habere recognoui, nihil dominationis, seu violentæ potestatis super locum ipsum mihi retinui. Si autem de aliqua iniuria sibi illata fratres me appellauerint, ibi aduocatum, iudicem, & vindicem me recognoscam, & contra malefactores eorum, ac si pro anima mea, me eis opponam. Nec fas fit in posterum ulli successorum meorum, ad hoc exequendum, aliquem personæ suæ vicarium subrogare, sed quicumque Comes terræ Brachatenfis fuerit, ipse mihi sicut honore & potestate, ita beneuolentiâ & affectu ad defensionem Ecclesiæ succedere debet. Hæc ergò statuens, pro redemptione animæ meæ, & fratris mei, & parentum meorum, in tutamen etiam salutis, & honoris filiorum meorum, & omnium successorum meorum, nullum aliud munus vel seruitium exegi, nisi orationes fratrum, easdemq; solas posteris meis pro omni munere exigendas, & seruitio dereliqui. Quæ ut nota fiant omnibus & præsentibus, & post nos venturis, scripto ea mandari, & sigilli nostri impressione, & testium adstipulatione, filiorum quoque meorum voluntario consensu, roborari feci, & ne à quoquam temerè violentur, in præuaricatores anathematis sententiam ab Abbate promulgari postulauimus. Testes horum omnium fuerunt, duo filij mei, Godefridus & Henricus, Onulfus Presbyter, Godezo Capellanus, Vual-

terus



An. 1138.

terus de Crainhem, Henricus de Allica, Hugo Rampart, Vualterus de Merbeca, Arnulphus de Oppendorp, Gosuinus Hirundo, Vualterus de Vvembleue, Nicolaus de Ozkerka, Arnulfus de Bigardis, Arnulfus de Rode, Lambertus de Sauenthem, Giselinus de Hunzeghem, Anselmus de Capella, Franco Pincerna, Gosuinus Clubbiue, Rinerus de Hauerel, Gosuinus filius Modebaræ, Franco filius Mariæ. Acta sunt hæc anno ab incarnatione Domini CLO. C. XXXVIII. Indictione prima, in Pontificatu Innocentio, in regno Conrado præfidente.

DIPLOMA B. IDAE, MATRIS GODEFRIDI BVLLONII,  
Ducis Lotharingæ, & post Regis Hierosolymorum.

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego Ida Boloniensis Comitissa, humilis Christiancilla, cunctis in fide manentibus gaudia promereri promissa fidelibus. Notum fieri cupio, tam præsentibus, quàm futuris, signum meæ dilectionis, erga Dominos meos, & fratres, videlicet monachos coenobij Noui monasterij, cui vocabulum Hasslingem inditum erat ab antiquis. Quoniam mihi, multisque eorum complacuit conuersatio, & religionis effectus, dignum duxi me commendare talium orationibus, nec in incerto  
diuiti-



diuitiarum sperare, sed has potius cum eis  
 participare. Igitur in allodio meo, & villa,  
 quæ vocatur Genapia, pro salute animæ meæ, *Ida Gena-*  
 patris quoque mei Ducis Godefridi, & Com- *piensem*  
 tis Eustathij Domini mei, Ecclesiam cum de- *Ecclesiam*  
 cimis & vniuersis eius redditibus, firmiter *dat & affli-*  
 perpetuoque iure tenendam dedi supradictis *gemen sibus.*  
 fratribus; in idipsum filijs meis Godefrido,  
 Eustathio, Balduino mihi cooperantibus.  
 Filius quoque meus Dux Godefridus in ea-  
 dem villa Genapia quinque mansos terræ do-  
 nauit iisdem fratribus, ad quos ego postea in  
 augmentum concessi quasdam partes cir-  
 cumiacentes, planè sextum mansum conti-  
 nentes, ab omni comitatu, & censu tributario  
 liberas & expertes. Insuper autem quidquid,  
 sibi vendicabant, quippe quod à prioris doni  
 tempore possederant, & vsibus suis assigna-  
 uerant, siue in siluis, siue in pascuis, siue in  
 \* sartis, eis concessi eadem libertate, quā te-  
 nui, sed & omne participium in silua, & reli-  
 quo vsuario communi, in hoc nihilominus  
 filijs meis consentientibus mihi. Factum est  
 autem hoc apud Traiectum in Ecclesia S. Ser-  
 uatii confessoris, præsentibus etiam reliquijs  
 sanctæ Gertrudis virginis pro simili negotio  
 illuc tunc allatis. Vt autem hæc traditio om-  
 nibus retrò seculis rata & inconvulsa per-  
 maneat, omnem rem, vti gesta est, literarum  
 memoriæ commendamus, & sigillis nostris  
 ego & Godefridus filius meus roboramus, &  
 testes idoneos, qui huic rei interfuerunt, sub-  
 terfi-

\* Satis.

terfi-



ter signauimus. ¶ Signum Lamberti nostri capellani, S. Roberti capellani, S. Gerardi comitis de Gelre, & fratris eius Henrici, S. Godescalci de Iacen, S. Henrici de Cuc, S. Arnulfi de Rede, S. Cononis de Montaur, S. Theoderici de Bemel, S. Hende Birbaica, S. Balduini de Ostruic, S. Vualteri de Grimberges, S. Reyneri Aduocati Leodicensis. Denique de scriptis testibus, & illud notum facimus, quod Comes Henricus qui eandem villam in beneficium à nobis tenuit, duobus annis antequam hæc donatio confirmaretur, nobis reddiderit ad opus fratrum, quod ad eum pertinuit. Factum est autem hoc incarnationis Domini anno millesimo nonagesimo sexto, Indictione quarta, regnante Domino nostro Iesu Christo: anno etiam profectionis Christianorum contra paganos Ierusalem.

An. 1096.

**D**E Affligemiensis cœnobij exordijs, deq; eius filiabus, & vt sic dicam, traducibus, puta VVauerensi, Fraxinensi, Andreano, Forestensi, Bornehemienfi, Bigardienfi, & Fliderbecano monasterijs siue cellis, distincta temporum serie, leguntur ista in manuscripto Sigebertini Chronici exemplari Lipsiano.

An. 1083.

Anno CIO. LXXXIII, Affligemense cœnobium tale, auxiliante Deo, sumsit exordiū. Prædicante Vuetherico seruo Dei, qui quasi stella matutina in medio nebulae, effugandis obscuritatibus erroris apparuit, conuersi quinq; milites suis integrè renuntiant. Inter quos



quos Gerardus Niger, qui cæteris excellentior videbatur, doctoris sui consilio animatus, cum socijs locum Afflighem dictum, sicut nomine, sic omni barbarie incultum (quippe qui latrocinantium tantum conuenticulis aptus erat) ædificare, & claustrum in eo exstruere aggreditur.

Anno CIO. LXXXVI. Affligemensis cœnobij fundatores, qui omnibus abiectis ita nudi ad ædificandum claustrum conuenerant, ut nihil secum, præter panes tres, dimidium caseum & pauca ferramenta detulerint, vix tribus annis exactis, à Gerardo II. cameraensi Episcopo, in honore Apostolorum Petri & Paulli, Ecclesiam dedicari faciunt.

An. 1086.

Comitissa Adela, cum duobus filijs suis, Henrico & Godefrido, ad ædificandum inibi cœnobiū, eundem locum libertate donauit.

Prædicti fratres monachos, à quibus monachicum ordinem discerent, sibi adlociauerunt.

Anno CIO. LXXXVII. Dominus Fulgentius huius cœnobij primus Abbas hoc anno electus est in festiuitate S. Martini.

An. 1087.

Anno CIO. LXXXVIII. Dominus Fulgentius primus huius cœnobij Abbas consecratus est in festiuitate S. Gregorij.

Anno CIO. XCI. nobilis vir Heribrandus diuinâ reuelatione admonitus à S. Petro apud Afflighê ad conuersionem venit; qui XXX. die mox à Deo vocatur. Quem secuti quinque

An. 1091.

filij



filij eius, frater quoque magni nominis & Potentiæ, nomine Ingelbertus, omnes consue-  
rati ad cœlestes thesauros terrena patrimo-  
nia transtulerunt.

*Genapia.*

Anno CIO. XCVI. Ida Boloniensium Co-  
mitissa tradidit nobis Ecclesiam, quæ est in  
villa Genapia, cum decimis & vniuersis eius  
reditibus, consentientibus filiis suis, Gode-  
frido Duce, Eustathio & Baldeuino.

*\* Godefri-  
dus Bullo-  
nius.*

Idem \* Godefridus Dux, filius in eadem  
villa quinque mansos terræ nobis donauit,  
ad quos ipsa postea quasdam partes circum-  
iacentes, planè vnum cōtinentes, in augmen-  
tum concessit.

*Fraxinensis  
cella.*

Anno CIO. XCIX. cellam Fraxinam Do-  
minus Fulgentius Abbas suscepit regendam.  
Porro Fraxina seu Fraxinea cella, Gallicè Fres-  
ne, Prioratus est in Gallo-Brabantia, cuius in-  
itia Eremburgiæ matronæ debentur.

*Cella S.  
Andrea.*

Anno CIO. C. cellam sancti Andreæ pro-  
pe Brugas sitam Dominus Abbas Fulgentius  
suscepit regendam. De ea fusè egimus cap.  
xlviij.

*Forrestum.*

Anno CIO. CV. immunitas Affligemen-  
sis Ecclesiæ etiam Apostolicâ auctoritate à  
Paschali Papa corroboratur, anno VI. Pon-  
tificatus eius.

*An. 1120.*

Dominus Fulgentius Abbas locum, qui Fo-  
rest dicitur, suscipit. Vide cap. lvij.

Anno CIO. CXX. cellam in Bornehem  
Dominus Abbas Fulgentius suscepit regen-

dam,



dam, tradente Abbate, & Canonicis eius monachis factis, quia per eos regi non poterat.

Est autem Bernehemium Flandriae municipium, titulo Baronatus illustre, inter Antuerpiam & Teneramondam opida, ex opposito Tamisia, ad veterem alueum Scaldis fl. situm; in quo Abbatiale Canonorum regularium olim cœnobium, circa annum millesimum centesimum fundatum exstitit, cuius hodieq; rudera ac vestigia spectantur. Sed N. Bornehemienſi Abbate secundo, cum sodalibus suis, institutum Benedictinum in Affligemio amplectente, vniuersa eius loci prœdia Affligemiensibus accesserunt. Hodie Bornehemium Præpositura est ac parœcia, Affligemiensî Abbatiæ annexa.

Bornehemienſis olim  
Abbatia.

Anno CIO. CXXV. Domnus Fulgentius Abbas locum, qui Fliderbeke dicitur, suscipit. Vide cap. l.

Fliderbeke.

Anno CIO. CXXXIII. Domno Fulgentio Abbati locus Bigardis commendatur. Vide cap. lxi.

Bigardia.

Anno CIO. CXXXIX. Godefridus Louaniensis, dux Lothariensium moritur, & Affligemiensis templi sepultura honoratur.

An. 1139.

Anno CIO. CXL. Henricus Comes, filius Ducis Godefridi, superiori anno defuncti, militiæ cingulo deposito, Affligemiensis monachus factus, cœlestis militiæ signaculum accepit, & citò vocatus à Deo migravit.



An. 1152.

*Bruxella in  
basilica S.**Nicolai me-  
ritis B. Ma-  
ria plurima  
patrantur  
miracula.**\* Capellam  
B. Mariae in  
Vuauera  
Henricus  
Comes Bra-  
chatensis de-  
dit Afflige-  
miensibus  
an. 1096.  
Vide cap.  
xliij.*

Anno CI D. Clij. in Ecclesia S. Nicolai, quæ constructa est in opido Brusellensi, S. Maria mater Christi operata est tanta miracula, quod à temporibus Apostolorum adeò magna & frequentia, in tam breui tempore nusquam sunt audita. Dum enim consensu Abbatiss Affligemensis, & consilio fratrum, fere trum illud in honore S. Mariæ auro & argento operiendum, ab Ecclesia\* Vuauerensi, cum cæteris reliquijs, quæ in eadem continentur, fuisset allatum, & in Ecclesiam S. Nicolai reuerenter locatum, statim operante diuina virtute, per merita gloriosæ virginis, cæci visum, surdi auditum, claudî gressum receperunt, & tot infirmi variis languoribus oppressi, à Paschali hebdomada vsque in diem natiuitatis S. Ioânis sanitatē optatā consecuti sunt. Si fratres supradictæ Ecclesiæ hæc per singula stili officio fideiū memoriæ commendassent, non paruum volumen posteris profuturum conscripsissent.

Hoc bono odore tota prouincia in breui respersa, non solum ex nostris, sed & ex valde remotis partibus factus est concursus diuitum & pauperum: diuersæ ætatis, & vtriusque sexus fideles cum oblationibus suis conuenerunt, & tantam pecuniam, quæ non facile æstimari potest, hac ratione diuidendam obtulerunt; partim scilicet in sustentationem pauperum, partim in restorationem Ecclesiarum, partim in vsus fratrum in Ecclesia Affligemiensi, vel Vuauerensi Deo seruienti-

um. Ab-



um. Abbas etiam Affligemiensis, & fratres eius, pedites vsque ad ipsum opidum conuenerunt, vbi albis vestiti & cappis induti, processionem multitudine monachorum compositè & honestè ordinauerunt, & sic cantando, Deum & eius Genitricem collaudando, cum magna gloria & applausu totius populi: qui ea die dicuntur fere ad xxx. milia conuenisse, Ecclesiam S. Nicolai intrauerunt. Attestari sunt fideles, numquam se aliquo conuentu, qui factus sit aliquando, siue Imperatoris, siue iussu Romani Pontificis, tam honestam, & tam bene ordinatam processionem vidisse.

Quoddam insuper beneficium, quod non esset silentio prætereundum, imò super cetera commendandum, ipsa gloriosa Domina contulit toto illo tempore fidelibus suis, per quod bella multa, quæ iam, instigante maligno, concitata fuerant, & seditiones consopitæ quieuerunt. Dum enim ex diuersis partibus multi conuenissent, de quibus auditum est, quòd inimici essent ad inuicem, statim sine vlla exactione pecuniæ, vel qualibet satisfactione, quæ inter sæculares in huiusmodi negotiis solet fieri, solo Dei timore, & amore piissimæ Matris correpti, interuentu fidelium in pace reconciliati sunt.

Hoc finito tempore relatū est feretrū illud in supra nominatam Ecclesiam cum reliquiis, nec tamen toto illo anno desijt Mater misericordiæ à coeptis circa infirmos beneficiis.



An. 1153.  
Onse Lieue  
Vrouwe  
van VVau-  
ueren.

Anno CIO. CLIII. Brusellenses opidani  
Dominam nostram (sic enim aiunt) de Ecclē-  
sia Vvauerenſi deuotē & humiliter tollē-  
tes, cum honore ſuſceperunt, & ſuo tempore  
paciſicē & cum gaudio remiſerunt.

Haecenus ex MS. Sigeberti Gemblacenſis  
Chronico, quod à monacho Affligeminenſi au-  
ctum, V. Cl. Iuſtus Lipſius è ſua ad nos bibliotheca  
transmiſit.

Affligemiēſe porro cœnobium, inter Bruxel-  
lam & Aloſtum opida loco amœniſſimo ſitum vi-  
ſitur; cuius quidem loci dignitas Abbatialis, Apo-  
ſtolicā ac Regiā auctoritate, Archiepiſcopatui  
Machlinienſi, patrum memoriā inſtituto, eſt an-  
nexa.

## CAPVT LXXI. MVNSTERIENSIS

Seu Monasterienſis, B. Virginis Abbatia, olim  
extra, nunc intra muros vrbiſ Luceburgen-  
ſis ſita.

**H**Aud longē à muris vrbiſ Luceburgenſis,  
in iugo montis, inter ruinas caſtri Veteris  
Luceburgenſis, & caſtri Mansfeldici, à  
Petro Erneſto Mansfeldio, anno milleſimo quin-  
gentefimo nonageſimo, exſtructi, celebre olim  
exſtit cœnobium, BB. Apoſtolis Petro & Paul-  
lo primitus dicatum, poſt Deiparæ Virginis co-  
gnomento donatum, quod ob excellentiam præ  
ceteris



*ceteris eius tractus cœnobijs vulgò Munster est nuncupatum. Istud an. Christi millesimo octogesimo tertio à Conrado Comite Luceburgensi cui vxor fuit Clementia, Henrici IIII. Imp. filia, conditum esse, mihi per literas R.P. Ioannes Bertelius, huius olim cœnobi, nunc Epternacensis Abbas significauit.*

*An. 1083.*

*Bellis porro sauientibus inter Carolum V. Imp. & Franciscum I. Gallia Regem, Munsteriense cœnobium à nostris hominibus, ne Gallis hostibus domicilium præberet, incendio absumptum est. Estque id temporis in sepulcro fundatoris inuenta tabula plumbea, cuius hanc fuisse inscriptionem testatur Gaspar Bruschi in Chronologia monasteriorum Germania:*

*In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, quiescit hic Comes Conradus. Hic cū inter seculi principes famâ probitatis esset celeberrimus, sepulcrum vitæ principis adiit amore diuino succensus, indeque reuertens, diuinâ vocante clementiâ, obiit peregrinus, sepultus in terra decenter, non sua: indeque anno dormitionis suæ secundo sublatus, an. quarto, ipso die annuæ migrationis suæ de seculo, hîc fuit repositus, præsentē coniuge sua Clementia, per manus filiorum suorum, Adelberonis Primicerij Metensis, Henrici Comitiss, Conradique Comitiss, præsentē Rodolpho Abbate, filio Comitiss, quem ipse prouisorem & ordinatorem huius loci statuerat. Facta sunt*



An. 1086.

hæc regnante permiffu Dei, Henrico tyranno damnato, ac piæ memoriæ Gregorio Pontifice Romano. Obijt autem VI. Idus Augufti, anno Dominicæ incarnationis 1086.

Ceterum Carolus V. Imp. monachis Munsterienfibus Xenodochium pauperum, bafilicæ S. Ioannis Baptifta contiguum, atque in ipfa vrbe Luceburgenfi fitum, cœnobio nouo excitando, postmodum donauit, quod hodie ædificijs ac disciplinâ monasticâ est illuftre. De Munsterienfis cœnobij origine atque Abbatibus, plura qui uolet, Ioannem Bertelium, in Historia Luceburgenfi nuper edita consulat.

## ALDEBURGENSE

Monasterium, secundo milliari ab Ostenda, Flandriæ opido olim fitum.

An. 865.

**A**ldeburgum primæ olim notæ apud Flandros opidum fuisse constat. Sed Attila Hunnorum Rege Galliam vastante, cum alijs opidis excisum est; & monftrant hodieq; castrorum Attilæ locum, primo lapide ab Aldeburgo, quem vernaculè Attilaghem nuncupant. Tradunt autem à Balauino Caluo, Flandriæ Comite, ad annum Christi octingentesimum sexagesimum quintum, burgum Brugenfe, cum à patre eius muniri cœptum effet, Aldeburgi rudibus eo aduectis, cinctum fuisse.

In hoc porro Flandriæ tractu S. Vrsmarum, Episcopum & Abbatem Laubiensem, Euangelij

olim



olim doctrinam sparsisse, tradit Anso Abbas Laubienſis, in hiſtoria vitæ eius, quæ à Ratherio Veronenſi Epiſcopo emendata, & à Laur. Surio, quamquam non plenè, typis eſt edita. Nos eam integram ex manuſcriptis codicibus Laubienſibus nacti ſumus, in qua ſic inter alia legitur: ipſe prouinciæ dominus Aldo nomine, B. Vrſmari prædicatione ad fidem Chriſti conuerſus, donauit de ſuo dictum vocabulo Aldeburch vicum, in quo conſtruxit, atque confecrauit Eccleſiam in honore Petri Apoſtoli, & mille paſſus vndique per circuitum: de quo poſtea dotauit Eccleſiam Laubienſem, quatenùs ipſe B. Petrus Apoſtolus, cui à Domino ligandi atque ſoluendi collata eſt poteſtas, patrocina- retur Flandrenſibus atque Menapenſibus, qui de diuerſis idolorum cultibus reuocati, facta erant vna Eccleſia Chriſti. Sic Anſo & Ratherius.

Anſo obiit  
an. 713.

Alij tamen Aldeburgum, ſiue Oudeburgum, quaſi vetus caſtrum, ab antiquitate ſic dictum volunt. Vtut ſit, illud cõſtat an. Chriſti milleſimo octogeſimo quarto, à S. Arnulfo Sueſionum Epiſcopo monaſterium inſigne Aldeburgi, in honore SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, exſtructũ. De hiſ rebus fuſè Meyerus in Annalibus Flandriæ: An. CCCC. LIII. factum eſt memorabile illud prælium ab Aetio Romano aduerſum Hunnos in campis Catalaunis. Stabant pro nomine Romano, præter Aetij exercitum,

An. 1084.

An. 453.



Visigothi, Alani, Burgundiones, Frāci & Saxones, magis Attilæ Regis odio, quàm Romanorum studio adducti. Attilæ præter Hunnos aderant Ostrogothi, Quadi, Rugi, Gepidæ & Marcomanni. In his Reges sex nominatim memorati, Attila Hunnorum, Valamirus Ostrogothorum, Theodericus Visigothorum, cum filio Thurismundo, Ardaricus Gepidarum, Meroveus Francorum, & Sigebard Alanorum, Ceciderunt CLXXX. millia hominum, in quibus Theodericus Rex Visigothicus. Victus Attila de morte sibi consciscenda cogitavit, sed eo omisso consilio, in Pannoniam se recipit. Eâ tempestate vix vlla per Gallias ciuitas Hunnicam subterfugit rabiem. In hac nostra Belgica Tornacum & Tervanum & Aldenburgum excisa lego. Tum Colonia Agrippina, (teste Rhenano) Tungrorum opidum, Nouesium, Vtricesium, Castra Herculis, Vetera, Asciburgum, Nouiomagum, Antennacum, Bingium, Magōtiacum, Argentaria, Augusta Rauricorum, multa quæ alia opida partim ab Hunnis, partim à Francis funditus destructa sunt, quorum de vastatione Sidonius Apollinaris.

Etiam terrificis diffuderat Attila campis  
In campos se, Belga, tuos: (cundum  
Francus Germanum primùm, Belgamque se-  
Sternebat.

An. CIO. LVI. Aldenburgenses collapsum longâ ætate D. Petri templū, lapidibus opidi iam olim euerſi reedificarunt: quâ tempestate eo

in opi-



in opido tantus est cœmeterio Virginis Matris habitus honos, ut in illo nisi nobiles non sepelirentur, alique omnes, qui obscuri essent generis, ad D. Petri humarentur. Pro eius templi restituti memoria hos fecere versiculos:

Anno millesimo quinquagesimo quoque sexto, Huius opus templi cœptum cognoscitur esse, Ligna Basilica fuerat quo condita primum De miraculis, quibus est illustratum anno CIO. LXXXI. templum Aldēburgense, vide Epistolas quas edidimus de Viris illustribus.

Anno CIO. LXXXIV. Conon Roberti Flandriæ Comitis cubicularius, Aldeaburgensis Ecclesiæ gentilitium tenebat sacerdotium, Cæterum Hasecca eius vxor, mulier religiosa templum tantis miraculis insignitum diutius retinere formidabat. Quapropter Conon suasu vxoris Roberto Comiti, Robertus Episcopo Rabodoni, Rabodo autem S. Arnulfo Episcopo Sueffionum id ipsum tradidit: quod ipsum Arnulfus, assentiente Roberto Comite, statim conuertit in cœnobium Benedictinorum monachorum.

An. 1084.

Anno CIO. LXXXVII, xv iij, Kal. Septembris Aldenburgi defunctus est diuus Arnulfus Episcopus Sueffionum, sepultusque ibi in æde D. Petri. Tunc Arnulfus eius nepos ex Aszela sorore primus factus est Abbas Aldenburgensis. Hactenus Meyerus.

Fuit iste Rabodo seu Rabodo Nassiumensis ac Tornacensis Episcopus.  
An. 1087.

Porro Aldeburgense monasterium, anno Christi, millesimo quingentesimo septuagesimo octauo,

Eius vita exstat apud Serrum To. 4.

An. 1578.



à Caluimianis pœne funditus est euersum; loci verò huius monachi hodie Brugensi in vrbe agunt, pacatiora aliquando tempora exspectantes.

Hariulfus  
Abbas  
Aldebur-  
gensis,

Ceterùm inter Abbates Aldeburgenses olim Hariulfus emicuit, qui vitam S. Arnulfi Sues-  
sionensium Episcopi litteris consignauit, quæ ma-  
nuscripta exstat integra in Vrsicampo, Ord. Ci-  
stertiensis monasterio, apud Nouiomum Picardie  
vrbem, cuius hoc est initium: Domino Lamberto  
Dei gratia Tornacensi Episcopo filiorum vl-  
timus Hariulfus. Hanc ipsam Surius To. IIII e-  
didit sed præfatione triplici omissa

Arnoldus  
Wionus.

Huius etiã Aldeburgensis cœnobij alumnus fuit  
Arnoldus VVionus patria Duacensis, qui  
bellis civilibus apud Belgas renascentibus, in Ita-  
liam se contulit, optimequẽ de vniuersa familia  
Benedictina est meritis, libris aliquot, de illius o-  
rigine, progressu ac viris illustribus, in lucẽ editis,  
quos Ligni vitæ titulo prænotauit.

## H A M M E N S E

Monasterium, inter Aeriam & Lilariam,  
Artesia opida.

An. 1018.

**I**Oannes Bertinensis Abbas XXXIX. conse-  
cratus est an. Domini millesimo octogesi-  
mo primo. Huius Abbatis anno tertio Baldui-  
nus Ghisnarum Comes, & Ingelramus Lilari-  
ensis Dominus à peregrinatione S. Iacobi re-  
deuntes per Pictauiam, hospitati sunt in mo-  
nasterio



nafterio Carofenum. Et videntes ibi religionem bene vigere, de monachis Carofenfibus fecum ad has partes adduxerunt. Et quidem Balduinus Andrenfe, Ingelramus vero Hammenfe monasteria in honorem S. Saluatoris fundauerunt, an. Domini millefimo octogefimo quarto. *Sic Iperius in Chro. MS. Bertinenfi. Cui Meyerus in Annalibus Flandriae fubfcribit:*

An. 1084.

Anno clo. LXXXIV. Balduinus Comes Ghifnenfis, & Engerannus Lilarienfis, reuerfi ex Hispania à Compostella D. Iacobi, monachos fecum deportauerunt ex monasterio Carofenfi in Pictonibus, permiffuque Gerardi Morinorum Epfcopi, Ghifnenfis Andrienfe, Lilarienfis verò Hammenfe condidit cœnobium. *Haftenus Meyerus. Haud abs re fuerit hoc loco fubnectere foundationem cœnobij, Capellenfis feu Merkenfis, ex Iperij eiusdem citato Chronico:*

Anno Domini millefimo nonagesimo Eustathius Boloniae Comes, & vxor eius Ida parentes ac genitores illius clariffimi atque illuftriffimi Godefridi de Bullione, ac Balduini poftea Regum Hierufalem, fundauerunt monasterium B. Mariae de Capella, intra terminos de Merck, iuxta Calesium, in loco, qui prius dicebatur Broucham, & monachos ibi Hammenfes instituerunt. Vbi & ipfa Ida Comitiffa XI. de capillis B. Mariae virginis, quos ab Haftulfo Rege magnis precibus impetrauerat, cum aljis Sanctorum reliquiis obtulit. *Idem tradit Meyerus in Annalibus Flandriae.*

*Cœnobij B. Mariae Capellenfis feu Merkenfis origo.*

Porro



Cap. 19.

Porro Merckense seu Capellense hoc cœnobium secundo ferè milliari à Caletto olim situm, postea adiunctum est cœnobio Morinensi S. Ioannis in Monte, de quo supra diximus.

## S. DIONYSII

Monasterium, in Broqueroia, secundo lapide à Montibus Hannonia metropoli situm.

Obijt illa.

An. 1086.

**R**ichildis Flandriæ & Hannoniæ Comitissa, & filius eius Balduinus, pijs operibus & eleemosynis intendentes, in suo alodio Ecclesiam S. Dionysij construxerunt, in qua monachos S. benedicti instituerunt, & ipsam villam, multisque in locis terras cultas & incultas, siluas, & aquas, & prata, seruos & ancillas eidem Ecclesiæ contulerunt, & qua potuerunt libertate, atque honore adfecerunt. In diebus illis Montibus Hannoniæ in Ecclesia sancti Petri tredecim erant canonici, quorum præbendæ ad donationem capituli sancti Germani, eiusdem vrbis, pertinebant. Vnde Richildis Comitissa, & Balduinus eius filius tantum effecerunt, vt illæ præbendæ in vsus monachorum sancti Dionysij conuerterentur. Et cum omnes oblationes altarium Montensium, & Capellaniarum ad Sacellanos sanctæ Vualdetrudis, scilicet ad Canonicos sancti Germani, excepto monasterio S. Petri, pertinerent, compositum



tum fuit vt Ecclesia sancti Germani monasterium sancti Petri, ab Ecclesia S. Dionysij sub annuo censu sex denariorum in ipsius S. Dionysij festo soluendorum, in ipsa Ecclesia S. Dionysij, susciperet perpetuò tenendum. *Hac ferè Iacobus Guisianus in MS. Hannonia Chronico.*

## CAPVT LXXII.

*Zuiphaltense monasterium in d. Constantiensi.*

**Z**uiphaltum siue Zuifaltaha, Latine *Ad duplices aquas*, coenobium à duobus riuis Aych cognominatis, in ipso monasterio concurrentibus sic dictum, Constanciensis dioecesis, non pròcul à Danubio inter Manigum & Riedlingum oppida, tribus miliaribus supra Ulmam in Alpibus Sueuiæ situm, fundatum amplissimeque dotatum est anno Christi 1088. in honorem B. Mariæ Virginis, pro XII. monachis ex Hirsaugia adductis, ab illustribus Comitibus de Achalm Luitholdo & Chunone duobus germanis fratribus, pontificatum Urbano secundo, imperium verò Henrico quarto tenentibus. Donatum est mox ab *Adalberto* quodam comite Calevvenfi Sindelfingiacensis coenobij fundatore.

1088.

CAP.



## CAPVT LXXIII.

## S. MARTINI

*Cœnobium, in vrbe Tornacensi.*

**S** Eligius Nouiomenfis ac Tornacensis Episcopus, dentes duos Sancti Martini Turonensis Episcopi cum haberet, quos pio adfectu, ex maxilla beati Præsulis extraxerat, cum sacrum eius corpus à Lothario Galliarum Rege aureæ capsæ includendum accepisset, indignum iudicans sacratissimos hosce dentes, diutiùs apud se, sine honore publico, retinere, statuit eos publicè in basilicis honorandos deponere. Cum itaque apud Tornacum Neruiorum, prædicationis Euangelicæ munus obiret, montem amœnissimum reperit, in quo sanctum Martinum olim orasse, mortuumque ad vitam reuocasse, constanter incolæ adfirmabant. Ratus itaque optimam propositi sui exequendi occasionem sibi oblatam, in dicto monte, opidi muris nunc incluso, basilicam & monachorum cellas exædificauit, eoque in loco alterum beati Martini dentem (alterum enim Nouiomenfi Ecclesiæ dedit,) quem hodieque monachi piè adseruant, reliquit. Destructum est autem hoc S. Martini cœnobium à Normanis Belgicam vastantibus, anno octingentesimo octogesimo secundo, soloque æquatum, præter sacellum quod inter ruinas, miritis haud dubiè

An. 882.

dubiè



dubiè beatorum Præsulum, subsistens, pòst  
 instaurationi occasionem dedit. Anno nam-  
 que Christi millesimo nonagesimo secundo  
 postquam Odo, summæ vir eruditionis, Au-  
 relijs Tornacum à Collegio Canonicorum B.  
 Virginis euocatus, scholisque præfectus an-  
 nos quinque Rectoris munere laudatissimè  
 functus fuisset, & sanctioris vitæ genus cum  
 discipulis suis aliquot, amplecti iam statuif-  
 set, Radbodi Nouiomensis ac Tornacensis  
 Episcopi rogatu, B. Martini sacellū, apud mu-  
 ros vrbis inter rudera adhuc subsistens, comi-  
 tante clero, populoque applaudente, postri-  
 die Kal. Maias (qui dies tunc Dominicus erat)  
 cum socijs possidendum accepit. Vixit au-  
 tem cum suis primū iuxta regulam S. Au-  
 gustini: at postmodum, HaimERICI III.  
 Abbatis Aquicincti consilium secutus, S. Be-  
 nedicti habitum atque institutum adsumsit.  
 Anno verò millesimo centesimo quinto,  
 ab iustauratione monasterij decimo quar-  
 to, dictus Odo Abbas, ad Episcopatum  
 Cameracensem raptus est; relictis in mo-  
 nasterio, à se nuper exstructo, mona-  
 chis Benedictinis amplius octoginta, qui-  
 bus abiens Segardum virum optimum præ-  
 fecit, qui annis viginti & vno, magna  
 cum laude, præfuit. *Hæc ferè ex loci istius  
 monumentis desumpta nobis transmisit R. P. Pe-  
 trus Loherius, eiusdem cœnobij Abbas, noster olim  
 in studijs Theologicis Louanij collega. Ceterum*

*Mayerus  
 in Annal  
 Flandria  
 tradit id  
 factum  
 an. 191.*

*An. 1105.*

Odo



Lib. de blas-  
phemia in  
S. Sanctum.

In Biblio-  
theca SS.  
Patrum.

Odo sede sua Episcopali postmodum pulsus, quod virgam & anulum, quæ consecratus ab Ecclesia acceperat (vt ipsemet scribit,) ab Henrico III. Imp. iteratò nollet accipere, ad Aquicinctinum cœnobium se contulit, vbi & obiit anno millesimo centesimo decimo quarto. Scripsit is varia, quæ Tritthemius, Henricus Gandauensis, & nos in Bibliotheca Belgica recensemus: ex quibus exstat Commentarius in Canonem Missæ ad Vulbodonem monachum Affligemiensem conscriptus.

Est autem in hoc Martinensi cœnobio pulcherrima atque amplissima librorum manuscriptorum Bibliotheca, quam aliquando cum admiratione lustrauimus.

**V**arios inter manuscriptos codices, ad quos Sigeberti Gemblacensis Chronicon à nobis cum Appendice Anselmi Abbatis Gemblacensis e-vulgatum, comparauimus, & Ortelianum exemplar à Tornacensis huius cœnobij, vt apparet, monacho auctum vsui nobis in primis fuit. In eo autem non pauca de monasterij istius instaurati-one leguntur inserta, quibus nostratis Ecclesiastica antiquitatis studiosum nequaquam duximus frustrandum:

An. 1092.

Anno CIO. XCII. in suburbio Tornacensi ad septentrionalem plagam vrbs, monasterium sancti Martini construere incipit

Odo



Odo Aurelianensis, VI. Non. Maij, die Dominico. Ex condicto namque prædicta die eò adueniens, comitante eum solemni processione Domno Radbodo eiusdem vrbis Episcopo, & clericis Ecclesiæ beatæ Dei genitricis Mariæ, cum populi maxima multitudine, locum ab eodem suscepit Episcopo, vnà cum IV. fratribus secum ibidem Deo militaturis regula Canonica, sub habitu clericali. Qui Odo Aurelianus oriundus, Tornaci tunc temporis Scholasticus, nullo Cisalpinorum inferior famâ celebrabatur, Dialecticæ artis, ceterarumque liberalium scientiâ. Qua ex re, vnde quaque ad eum clericis confluentibus, vnus è peregrina superneniens regione, anulum aureum illi obtulit, in quo monostichon hoc insculptum fuit.

Annulus Odonem decet aureus Aurelianensem. Hæc retulimus, vt ex ijs cõijciatur, quantum apud vnâ regaliū Ecclesiarum honorem habere potuisset, si illò tetendisset, dum maluit Christo adhærere in loco pauperiei & indigentia.

Anno CIO. XCIII. Odo Aurelianensis, inualescente religionis feruore, monachicum habitum vnà cum ceteris fratribus suscipit, secum in hoc monasterio S. Martini Tornacensis constitutis. Et quia tanta famâ viri, vt prædiximus, circumquaq; diffusa, tantumque lumen sub modio latere diu non potuit, Dei ordinatione, qui eum altiùs in posterû sublimare disponebat, cuncta congregatio iam, Deo

An. 1093.



largiente, numerosior adulta, vñanimi volū-  
tate parique voto, eundem Odonem Abba-  
tem sibi præficit, assensu Radbodi iam prædi-  
cti Episcopi. Cui in tantum diuina gratia ad-  
fuit, vt cum ante eius aduentum, idem locus  
per CCC. ferè annos desertus fuisset, nec  
quidquam omnino appendiciorum haberet,  
plusquam LXX. monachos infra XII. an-  
nos in eo congregauerit, constructis suffici-  
entibus eis officinis, tantâ agrorum amplitu-  
dine acquisitâ, tantaque substantiâ, quæ supe-  
rabundaret ad necessarios vsus, tam superue-  
nientium hospitem, quam inhabitantium  
monachorum.

An. 1105.

Anno CIO. CV. Manasse Cameracensi Epi-  
scopo accepto monachico habitu, Odo pri-  
mus Abbas ex cœnobio sancti Martini Tor-  
nacensis Ecclesiæ in Episcopatu ei succedit.  
*Haftenus ex manuscripto Sigebertini Chronici  
exemplari quod olim Abrahami Ortelij, Cosmo-  
graphi Regij fuit, nunc in bibliotheca Soc. IESV  
Antuerpiæ adseruatur.*

\* Exstat  
ta MS. a-  
pud me &  
alibi.

Obijt autem Odo XIII. Kal. Iulij, an. Chri-  
sti millesimo centesimo decimo tertio, (non de-  
cimo quarto, vt alibi legitur:) quod ex libello  
seu \* Epistola longiore, de eius vita & obitu à N.  
monacho Aquicinctino scripta certò didici. In  
qua de scriptis eius hæc inter alia leguntur: Ex-  
stant apud nos quedâ eius opuscula, quæ digna  
habentur memoria, scilicet de Canone Euan-  
geliorum, & Canone Missæ libelli duo, Dispu-  
ratio



tatio contra Iudæum, Homilia de Villico, Liber vnus de originali peccato, & alius de blasphemia in Spiritum sanctum, quem interrogationi meæ dignatus est respondere, meoque nomini consecrare.

*Commentarius porro in Canonem Missæ scriptus est ad Vuolbodonem monachum Affligemiensem, vnum è sex illis primis militibus, qui cœnobij Affligemiensis fundamenta iecerunt.*

## CAPVT LXXIV.

*Formpachense monasterium, vulgò Formpach, in Bauaria.*

1094.

**D**E fundatione istius monasterij scribit Auentinus, quod omnino non conuenit cum infra scriptis monumentis & confirmatione Lotharij Imperatoris, ex quibus, quomodo se res habeat, certius comprobatur. Incipit commemoratio traditionum cœnobij siue monasterij S. Mariæ, quod est ad Formpach. Ego Berengerus, Formpachensis cœnobij primus non meis meritis Abbas, & hi, qui mecum congregati sunt fratres, animaduertimus, alterna charitatis & debitæ esse retributionis illos describi, qui primùm, & qui deinceps suæ hereditatis heredem fecerunt Ecclesiam nostram, quæ est ad Forempach consecrata in honore S. Dei Genitricis Mariæ, pariterque loca, à quibus & quomodo ad hanc

X 2

tradi-



tradita sint, adnotari, vt notitiam illorum, qui ea tradiderunt, successoribus nostris relinquamus, & per hanc memoria eorum nominatim fiat & longa. Tradidit namque in primis Domina Himelrud, venerabilis matrona, ad eandem Ecclesiam, cum manu Aduocati sui, in vsu ibidem Deo seruientium, hac sue proprietatis loca, quæ hîc sunt nominata, villam scilicet Themnaten, Vvinehartesheimin, Mackingen, Hartheim, Rischermin, Minicheimin. Accepit quidem ea ipsa materfamilias Thiemonem Comitum in Aduocatum sibi, etiam dictæ Ecclesiæ, & his omnibus, qui vel quæ ad hanc pertinent, earatione & complacitatione, vt nunc post illum eiusdem aduocationis curam & regimen susciperet, qui in filiis eius primus esset et ate, & sic simili modo de filiis in filios sue posteritatis huius tutelæ procuratio transiret, quatenus eò propensiori cura susceptis in patrocinarum patrocinaretur, quo se vicem & locum patris, aui, etiam pro aui procurare sciret: postea Eckpertus Comes quarto loco à prænominato aui Thiemone eiusdem procurationis debitor effectus, consilium habuit cum Abbatibus, cū Marchionibus, & alijs honestioribus religiosiis viris religionis, & maxime cū Episcopo Patauiesi Vdalrico, & ex fiducia & auctoritate consilij eorum, congregatis, in eodē loco Formpach monachis, effecit Abbatem Berngeram, monachum expertum atque probatum, quem



quem Episcopus Pataviensis ille, qui suprà, anno Incarnationis Dominicæ 1094. indictione secunda, 16. Calend. Ianuarij, Abbatem consecrauit, & faciens sermonem pro eo ad populum, enunciauit ea, quæ ipse Aduocatus Eckpertus, & cunctus qui aderat populus collaudauit, videlicet, vt ea ipsa Abbatia ad Formpach sit libera, & monachi illi post mortem Abbatis sui liberam potestatem habeant ad eligendum sibi Abbatem, vndecumque huic nomini idoneum inuenire possint, siue in suo siue in alio vicino, seu longinquo monasterio, & is qui electus fuerit, ad designationem suæ electionis baculum ab altare sui monasterij sumat, & si fortè monachi illi in electione dissentiant, tunc adueniens Episcopus Pataviensis, cum Aduocato ipsorum eos suis exhortationibus coadiuuat, & vt mediator sanioris partis sententiam tenere persuadeat; moxq; idem Præsul hæc ita suo decreto cum clericis & Abbatibus, qui præsto erant, stabiluit, & Episcopali banno confirmauit. Aliunde hæc firmari non erat propter schismata & dissensiones, quæ tunc temporis in sede Romana erant, & in regno.

1094.

Burrhonium siue Burrhense monasterium,  
in d. Constanciensi.

**M**onasterium istud situm est in Ducatu  
Vvirtembergensi, secundo lapide ab

X 3

Vlma



1095.

Vlma Sueuiæ metropoli, fundatumque circa annū 1095. ab *Anselmo*, eiusque filijs *Henrico* & *Hugone*, Palatinis Tubingensibus.

1099.

In eadem d. Constantiensi visitur *Biblingum*, coenobium pariter Ordinis Benedictini, in honorem S. Martini anno 1099. ab *Othone* & *Hermano*, fratribus, Comitibus de *Hirschberch*.

*Castellum monasterium, in Palatinatu Superiore.*

1098.

**I**N honorem Dei ac S. Petri fundatum est hoc monasterium anno Christi 1098. à *Frederico* Comite de *Castelberch* & *Bertha* eius coniuge.

*Abbatia Ordinis S. Benedicti, quæ hodieq. perstant ac florent ex Chronico Constantiensi Ioannis Pistorij Præpositi Vratislaviensis anno 1607. edito.*



**P**etri-domus, aliàs *Petershausen*, in vrbe Constantiensi.

Augia maior vulgò *Reichenovv.*

*Zuuyfalten.*

*S. Georgij in nigra filua.*

*Alberspach.*

*Blauubeuren.*

*Ochsenhausen.*

*VViblingen.*

*VVeingarten.*

Engel-



Engelberg coenobium tam monachorum  
quam monialium Ord. S. Benedicti in tra-  
ctu Lucernensi.

Augia Prigantina.

Yfni siue Ifni.

Cella B. Mariæ.

S. Truperti in Nigra silua prope Friburgum.

S. Petri in Nigra silua,

Rynouu.

S. Ioannis in Turtaal,

S. Galli.

Muri S. Benedicti A.

Truob.

S. Georgij in Stain,

Thuregum, monialium.

S. Blasij.

Omnium Sanctorum in Schafhusen.

*Isnense monasterium.*

**S**itum est hoc monasterium, intra muros  
Isnæ, opidi Imperialis apud Sueuos, & fun-  
datum in honorem SS. Iacobi & Georgij an.  
1096. à Mangaldo Comite Veringensi, eiusq;  
filijs Vvaltero & VValfrado, vt scribit Bru-  
schius libro citato.

1096.

*Neresheimium, tertio lapide à Nordlingiaco*

*Sueuiæ opido.*

**F**undatum ac dotatum legitur an. 1095. ab  
Hartmanno Comite Dillingensi & Adel-  
heide eius coniuge; consecratum verò ab  
Ulrico Hartmanni comitis filio, Episcopo  
Constantiensi.

1095.



*Ochsenhustum, in Sueuia.*

**E**st in Sueuia quoque Ochsenhusiensis Abbatia, duobus milliaribus à Memmingia-  
co, totidemque ferè à Biberaco sita: cuius  
primi fundatores ignorantur. Fuit olim non  
nisi Præpositura, à S. Blasij monasterio in Her-  
cynia silua dependens, sed anno 1420, facta  
est Abbatia libera & à S. Blasij iugo prorsus  
exempta.

Anno 1540. totum cœnobium in corpora-  
tum est, vt loquuntur, Episcopatu Constanti-  
ensi.

## CAPVT LXXV.

*Augia maior Germanicè Reichenovv ad lo-  
cum inferiorem, in d. Constantiensi.*

1098.

**I**llustris hæc Abbatia, olim vtriusque se-  
xus, nunc solummodò monachorum, fun-  
data legitur anno Christi 1098. ab *Vdalrico*  
Rhetorum & Brigantiæ Comite, templumq;  
dedicatum est ab *Vlrico* Constantiensi Episco-  
po. Fuit hoc monasterium exemptum, nunc  
verò Episcopatu Constantiensi est incorpo-  
ratum. In Augia maiore quiescunt reliquiæ  
S. Marci Euangelistæ, Venetijs eò aduectæ  
ante annos sexcentos: vt tradit Io. Pistorius  
in Chronico suo Constantiensi. itemque S.  
Pirminij huius loci Abbatis, vt idem com-  
memorat.

Alba



*Alba Augia Narcoſtorum aut potius Norici,  
Germanice Vveillenavv im Nordgevv,  
in diœceſi Bambergensi.*

**F**undatum legitur hoc monaſterium an.  
1053. à Gebhardo Comite, qui Eiſtetenſis  
Eccleſiæ Episcopuſ, ac tandem poſt Leonem  
IX. conſanguineum ſuum, Romanuſ Pontifex  
factuſ, Victor I. L. cognominatuſ eſt.

1053.

Poſtea anno circiter 1130. quaſi poſtliminio  
renouatuſ atque ampliatuſ eſt à S. Otthone  
Bambergenſis Eccleſiæ Episcopuſ, Pomerano-  
rum Apoſtolo. Ita Bruſchiuſ lib. de monaſte-  
rijs Germaniæ.

Eſt & Alba Augia Sueuiæ, hoc eſt Album  
Pratuſ, ſiue vt alij vocant minor Augia vul-  
go *die Minderovv*, magnificuſ ordinis Præ-  
monſtratienſis monaſteriuſ prope Rauen-  
ſpurguſ opiduſ Imperiale, de quo vide  
chronicon noſtruſ Præmonſtratenſe.

Augia diueſ, vulgò *die Reichenovv*, mona-  
ſteriuſ ampliffimuſ in inſula fundatuſ eſt  
circa annuſ 724. à Pirminio Episcopuſ Meldenſi  
eiuſque loci primo Abbate, auxilijs Caroli  
Martelli: ad quod non niſi Principes, Comi-  
tes, ac Barones olim admitti ſolebant. Cete-  
rum Abbatia iſta Conſtantienſi Episcopatuſ  
eſt incorporata circa annuſ 1544. con-  
ſentiente Romano Pon-  
tifice.

724.



## CAPVT LXXVII.

*Casale Benedicti, vulgò Chezaubenoist,  
in Francia.*

1098.

**T**emporibus Leodegarij Archiepiscopi Bituricensis qui sedit anno 1098. fundatum fuit *Casalis Benedicti* coenobium ac dotatum, auctore Andrea, illius monasterij primo Abbate, qui obiit anno 1120.

Est hoc monasterium caput Congregationis reformatæ in regno Galliæ. Exstatque Bulla Leonis X. de erectione Congregationis *Casalis Benedicti*, ad instar Congregationis Montis Cassini, aliàs S. Iustinæ de Padua, reformatæ, data Kal. decembris anno 1516. Sunt autem Abbatia quinque ex reformatione *Casalis Benedicti* in Francia satis notæ: quarum Pontificia Regiaque priuilegia citat Choppinus lib. 2. de Domino Franciæ tit. 10.

Ceterum *Casalis Benedicti* Abbates non nisi triennales sunt.

Sub congregatione Montis *Casalis*, quot monachorum, totidē Virginū sunt monasteria, nimirum *Bituricense* S. Laurentij, *Lugdunense* S. Petri, *Niuernense* Nostræ Dominæ, *Iseuriense* seu *Molinense* in Borbonia, & *Charontonense* in prouincia Bituricensi: Vide Choppinum lib. 1. Monasticon tit. 1. & tit. 2.

(::)

CAP.



## CAPVT LXXVIII.

*S. Crucis monasterium in opido Imperiali  
Donauuerda.*

**P**Ræclarum hoc monasterium fundatum initio legitur pro virginibus Deo dicatis anno 1100. à Mangoldo Comite Dillingensi & Hiburgenſi, eiſque coniuge Tuta, & auctum poſtea à duobus alijs Mangoldis eiſdem ſtemmatis Comitibus. Quorum omnium communis exſtat tumulus, hac epigraphe.

1100.

*Tres fundatores Mangoldi, Tutag<sub>3</sub>, flores  
Caeſtis prati, pauſant ſimul hîc tumulati.*

## CAPVT LXXIX.

S. ANDREÆ

*Cœnobium, apud Brugas Flandrorum.*

**A**Nno CIO. XCVIII. Robertus Hieroſolymitanus, Flandriæ Comes, iubet per litteras vxori Clementiæ, cœnobium aliquod conſtruat in honorem D. Andreæ, ideo quòd is Diuus Petro Maſſilienſi ſacerdoti apparuerat, auctorque exſtiterat ſacræ inueniendæ lanceæ. Clementia ſtatim impetrauit ab baldrico (alijs Balduino) Tornacenſi Epifcopo, & Lamberto Archidiacono, Reineroque Perſonâ gentilitiâ, altare in Stratis, alio nomine Bertferkerck, iuxta

An. 1098.

Brugas



Brugas. coepitque mox ibi construere coenobium nationis benedictinæ.

An. 1100.

Anno CIO. C. Robertus Comes ex Syria redijt domum, acceptus à suis popularibus incredibili lætitiâ, & cellam à se constructam iuxta Brugas in honorem D. Andrea, Fulgentio commendauit, Abbæ Hassligemensis, eâ conditione, vt is ex sua domo monachos eò mitteret.

An. 1182.

Anno CIO. CLXXXVIII. Andreani coenobitæ iuxta Brugas, qui hætenus sub Hassligemensibus fuerant, agente Philippo Elsatio, Flandriæ Comite, Hugonem sibi peculiarem ac proprium acceperunt Abbam.

An. 1206.

Anno CIO. CCVI. obiit Hugo primus Abbas. *Meyerus in Annalibus Flandriæ. Eadem fere tradit Chronographus Affligemensis, cuius verba, fidei apud Lectorem augende, subiungam:* Locus iste datus fuit nobis à Clementia Flandrensium Comitissa, confirmante Balduino Tornacensium & Nouiomensium Episcopo, vt ibidem monasterium cõstrueretur. Actum anno Domini millesimo centesimo. Confirmauit nobis cellam istam Paschalis secundus Papa, anno Pontificatus sui sexto, Christi verò millesimo CV. Item rogante Frandrensi-um Comite Roberto, Episcopus Tornacensis liberam eam nobis fecit. Item Callistus II. anno sui Pontificatus primo, Domini vero millesimo centesimo nono decimo, cum suis pertinentijs, nobis eam confirmauit. Item Eugenius tertius, anno sui Pontificatus quarto, Chri



to, Christi millesimo centesimo quadragesimo octauo. Item ab Alexandro diuisum est hoc monasterium ab Hassligemiensi, de consensu Abbatis Hassligemiensis, vt idem Abbas eligatur, per Guilielmum Remensem Archiepiscopum. Actum anno Domini millesimo centesimo octogesimo octauo. Item præsente Philippo Flandrensi Comite, monasteriū Hassligemiense quitauit Ecclesiam prædictā & liberam ab omni iurisdictione penitus, & absolutam clamauit, consentiens super electione Abbatis ibidem. Actum an. Domini millesimo centesimo octogesimo octauo. *Hactenus ille.*

## CAPVT LXXX.

*Monasterium S. Petri in monte Matrona.  
apud Bauaros.*

**I**N vertice Matronæ montis, qui in superiori Bauaria D. Petro dicatus, Oeno continuatur, supra castrum *Falckenstein*, atque in illius ditione situm monasterium *Berchtoldus Comes ab Andechs & Diffen*, Monachis S. Benedicti ædem condidit, circa annum 1100. Sic Auentinus. Alibi sic ponit, *Arnulphi Comitis filij, Poppo, Berchtoldus primus, Otto Vvolfratshufius, & Gebhardus*, hoc monasterium fundarunt. Defecit hoc monasterium postea, atque excisum est eo bello, quod Rudolphus Dux Bauariæ, iussu soceri, sui Adolphi, Rom.

1100.

Regis



Regis, contra Menardi Ducis Carinthiæ & Comitum Tyrolensis filios rebelles Imperij, gessit. Monachis in exilium actis, Conradus ad *Hornstam* eiusdem religionis, sacras reliquias ac librum Missalem perueterem (quæ adhuc hodie monstrantur,) secum abstulit, anno 1296, atque in sanctum montem *Andex* portauit, iuxta Auentinum lib. 7. Annalium. Deinde monasterium hoc in Præposituram abiit, quam Princeps plerumque alicui ex aulicis sacerdotibus confert, qui ibi vicarium habet, absque vlla animarum cura, quæ ad parochiam *Flinspach* ditionis prædictæ in Falckenstein pertinet. Ita Hundius.

*Spanheimense seu Sponheimense monasterium in d. Moguntina.*

1044.

1011.

**A**Nno Christi 1044. *Euerardus* Comes de Sponheim Ecclesiam in loco qui *Mons Campi* dicebatur antiquitus, fundauit. Anno 1101. *Stephanus* Comes de Sponheim Ecclesiam in Monte campi à suis progenitoribus fundatam in coenobium monachorum Ordinis D. Benedicti erigendum curauit. An. 1123. *Megenhardus* Comes, *Stephani* filius Ecclesiam & monasterium Sponheimense, dedicandum curauit in honorem B. Mariæ & S. Martini Turonensis Archiepiscopi. Plura vide in Chronico Sponheimensi Ioannis Tritemij huius loci Abbatis qui obiit Abbas S. Iacobi maioris apud Herbipolim

S. Dyssin



*S. Dysibodi monasterium, in d. Moguntina.*

**A**Nno 1108. coeptum est monasterium  
construi in honorem S. Dysibodi.  
Piæ namque memoriæ Burchardus Abbas D.  
Iacobi Moguntia, quem Ruthardus Archie-  
piscopus Ecclesiæ S. Dysibodi primum Abba-  
tem præfecerat, II. Kal. Iulij primum funda-  
menti lapidem iussu præfati præsulis posuit.  
ita Dodechinus in Chronico: Vide Serarium  
lib. 5. Rerum Moguntiacarum in Ruthardo  
Archiepiscopo.

1108.

*Malharstorf, aliàs Malharzdorf, & Madil-  
hartstorf.*

**M**onasterium istud fundatur per Hen-  
ricum & Ernestum filium, Comites de  
Kirchperg, anno 1109. Auentinus in Anna-  
libus ita ponit: Eadem tempestate Henricus &  
filius eius Ernestus Comites à Kirchperg, arcem  
suâ Mallerstorf, in inferiori Bauaria prope Laber-  
amnem sitam, in templum commutant; Hart-  
vvicus Ratisbonensis Episcopus dicat, sacris D.  
Benedicti initiat, Burchardum Magistrum, id  
est, primum Abbatem legit. Primò ibi iuxta ca-  
strum, in quo Comites illi residebant, ædificata  
est capella in honore S. Burchardi, quæ adhuc  
hodie vetus & prima fundatio appellatur, *die  
alt Stifft*, & non tantum pro Abbate & mo-  
nachis, sed etiam pro Priorissa & monialibus

1109.

S. Be-



S. benedicti Ordinis, quæ postea defecerunt, sicque totum castrum in monasterium transiit. Sunt autem in illa capella S. Burchardi non solum fundatores sepulti, verum etiam sex alij illius familiæ; quod testatur vetustus lapis ibi cum hac inscriptione.

*Hic fundatores Comites tumulus capit iste,*

*In cœlis. Christe, facies tibi proximiores.*

Hoc monasterium fuit per manum liberi hominis Eberhardi Ecclesiæ Bambergensi collatum, confirmatumque per Innocentium Pontificem anno 1139.

## CAPVT LXXXI.

*Regni Scotiæ monasteria varia.*

**M**ulta olim benedictini Ordinis monasteria in regno Scotiæ exstiterunt, multique ex eo regno viri Apostolici in Germaniam superiorem atque inferiorem transmigrarunt: Vt ex Ioanne Molano in Natalibus Sanctorum belgij; ex Vigileio Hundio in Metropoli Salisburgensi, ex Gaspare Bruschio in Chronologia monasteriorum Germaniæ, alijsque discere licet.

Inter Scotiæ monasteria hæc celebria fuere, *Dunelmense, Dunfermelinense, Scotense, Novocastrense* ut alia.

Dunfermilinensem Abbatiam excitauit *Edgarus LXXXIX. Scotiæ Rex, & frater eius,*

atque



atque in regno successor Alexander fatigro  
imposito perfecit, multisque prædijs locu-  
pletavit; Edgarus anno Christi 1109. & re-  
gni sui nono vivere desijt; Dunfermelini se-  
pulturæ traditus.

1109.

In Nouo Castro *Dauid* I. eò nomine Rex  
duo monasteria exstruxit, vnum ordinis S. Be-  
nedicti, alterum ordinis Præmonstratensis.  
Hæc tradit Io. Lesleus lib. VI. de rebus Sco-  
torum.

## CAPVT LXXXII.

*Michaëlis campus, Germanicè Michels-  
felt.*

**M**onasterium istud generis nobilitate  
conspicuis destinatum circa annum  
Christi 1119. excitauit *Otho VIII.* Epi-  
scopus Bambergensis & Pomeranorum Apo-  
stolus, vt ex illius diplomate constat, quod  
*Bruschius* recitat in Chronologia monaste-  
riorum Germaniæ.

1119.

*Monasterium & Congregatio Bursfeldensis  
in Germania.*

**A**nno 1426. quò Constantiæ in Germa-  
nia Synodus est celebrata, Capituli, vt  
loquuntur seu Congregationis Bursfeldensis  
reformatio sumpsit exordium. Huius auctor

Y

fuit



fuit *Ioannes Rodius*, Abbas coenobij S. Matthiae apud Treueros, qui generalis ordinis Visitator à Constantiensi Synodo constitutus, se ipsum in primis ac monasterium suum reformauit, & decretorum à se editorum confirmationem à Romano Pontifice impetrauit. Inter cetera vero ordinis huius monasteria *Bursfeldia*, pauperculum Saxoniae coenobium, Reformationis istius decreta primum suscepit, & in *Reinhausense*, aliaque vicina aliquot Saxoniae monasteria deriuauit. Mortuo deinde Ioanne Rodio, *Ioannes Hagensis*, Abbas Bursfeldensis, qui in monasterijs aliquot veterem disciplinam iam instaurarat, agente Iacobo Treuerensi Archiepiscopo, successor illi datus est. Sed cum nollet pauperculum Bursfeldense suum coenobium relinquere, alius in Rodij locum, vè generalis Reformator est suffectus; sed exiguo admodum fructu. Itaq; temporibus istis in Germaniam venit *Nicolaus Cusanus* Cardinalis & Sedis Apostolicae Legatus, qui Ioannem Hagensem, pietatis opinione celebrè, ad se euocatum, generalem Ord. Reformatorem pronuntiauit. Quo factum est; vt idem Cusanus conuentû, seu Capitulû, vt vocât, annum pro cõseruatione Reformationis institueret, Præsidis seu Præfecti domicilium è S. Matthiae Treuerensis coenobio Bursfeldiâ transferret, omniaque Reformationis decreta à Romano Pontifice curaret approbanda. Huic porro Bursfeldensi Congregationi pleraq; Germa-  
nia



niæ ac Gallia Belgicæ monasteria sese olim  
aggregarunt: quæ Congregatio siue societas  
hodieque perdurat.

CAPVT LXXXIII.  
OSTBROVCANVM

*Cænobium, milliari vno ab Vltraiecto, Germaniæ  
inferioris opido.*

**A**Nno Domini millesimo centesimo vi-  
cesimo secundo, Godebaldus Episco-  
pus Traiectensis XXIV. superædificauit in pa-  
lustris solitudine de Oestbroeck cænobium  
monachorum, & monialium in honore san-  
ctæ Mariæ perpetuæ Virginis, & sancti Lau-  
rentij pretiosi martyris. Quod monasterium  
propter arctam religionis obseruantiam, di-  
cebatur olim Carcer Ordinis. Ibidem enim  
congregatio maxima fuit, & rigor monasticæ  
disciplinæ secundum regulam S. Benedicti  
distriktissimè pullulauit.

*An. 1122.*

*Et infra:* Anno millesimo centesimo vicesi-  
mo octauo, Godebaldus Episcopus morbo  
grauatus, in Oestbroeck habitum religionis  
accepit postquam Traiectensem Ecclesiam  
annis XV. in pace rexisset. Qui demùm II.  
Idus Nouembris defunctus est, & in eodem  
monasterio satis honorificè sepultus. Ita  
Ioannes Becanus in *manuscripto Vltraiectensis  
Ecclesiæ Chronico*. Eadem narrat Ioannes Leida-  
nus in *suo manuscripto Hollandiæ Chronico*: vult  
tamen, anno millesimo centesimo vicesimo primo,

*An. 1128.*



An. 1125.

An. 1138.

Dominarū  
monasteri-  
um vulgò  
Vrouvven  
clooster,  
Abbatia  
monialium,  
Ord. S. Be-  
nedicti, a-  
pud Ultra-  
iectum.  
\* Lib. 8. de  
din. Offi.  
Cap. 3.

cœnobium istud à Godebaldo edificatum. Quam-  
quam alij notant Godebaldum non tam incohaf-  
se, quàm ea, quæ ab Hermanno, Theoderico &  
Henrico Equitibus, alijsq; nobilibus viris incohata,  
& à Machtilde Imperatrice, anno millesimo  
cētesimo vicesimo secūdo, erat aotat, aperfecis-  
se, & auctoritatis suæ munimine stabiliuisse, anno  
millesimo cētesimo vicesimo quinto. Fuit itaque  
principiū monasterium hoc sexus vtriusq; sed an.  
millesimo cētesimo tricesimo octauo monialium  
prædia à monachorum prædijs sunt diuisa; virgi-  
numque cœnobium in silua haud procul disita à  
fundamentis edificatum, & Deiparæ Virgini de-  
dicatum Belgicè Vrouvenclooster, Latine  
Dominarum monasterium dixeris.

Primus Abbas Ostbroucanus fuit Berengerus,  
quo præside miraculum insigne contigisse Ruper-  
tus Abbas Tuitiensis commemorat. Qui quidem  
Rupertus ex S. Laurentij apud Leodicenses cœ-  
nobio, ipsis initijs, ad hoc Ostbroucanum se con-  
tulit, indeq; postea Tuitium, quod ad Rhe-  
num flu. est, ex aduerso Colonia Agrip-  
pinæ est situm; vbi & Abbas  
creatus demum obiit.

(··)

CAP.



## CAPVT LXXXIV.

*Viennense Scotorum monasterium in Austria.*

**B**enedictini monachi, cum Scotam monasterijs refarcissent nec Britannicæ insulæ angustijs diutius coërceri possent, in Germaniam latè redundarunt, & varijs in locis vt *Viennæ* in Austria, *Herbipoli* in Franconia, *Colonia* in Vbijs, & alibi liberalitate principum suorum popularium seminaria excitarunt. *Henricus* certè Austriæ Dux anno Christi 1121. monasterium, censu lautissimo auctum, *Viennæ* in fauorem Scotorum excitauit, atque edicto cavit, nequis extra Scotos in illo monasterio vel Abbas crearetur, vel monachus, adscisceretur vt tradit *Ioannes Lesleus* Episcopus Rossensis lib. 6. de rebus Scotorum.

1121.

*Eichenbrunnum, in d. Augustana.*

**E**xstructum est hoc monasterium in honorem SS. Petri & Pauli à *Gumberto* domino de Fochberg, eiusque filio *Chrinone*, idque *Calixto II.* P. M. anno 1122. confirmante.

1122.

*Mellicense monasterium in Austria.*

**F**undatum est hoc monasterium anno 1122. non procul à *Vienna* Austriæ atque à *Calixto*

1122.



lixto II. consecratum. Ab eo nomen induit  
Congregatio Mellicensis, ad quam hodieque  
spectat *Tegerustense* monasterium iuxta In-  
golstadium & alia. vide *Vvionium* lib. 5. *Ligni*  
*vita* cap. 11.

*Elchingum, infra Vlmam, ad Danubium.*

1128.

**I**N diœcesi Augustana quoque visitur mo-  
nasterium *Elchingense* an. 1128. fundatum à  
*Cunrado* duce Saxoniae eiusque coniuge *Lucia*  
*Sueviae* ducissa, *Conradi III. Imp.* forore.

*Biburgense monasterium, in Germania.*

1124.

**A**Nno à nato Christo 1124 *Vlricus* & *Geb-*  
*hardus*, maiores natu fratres germani,  
filij *Henrici* de *Biburg* & *Berthæ*, patriam di-  
uiserunt hereditatem. *Vlricus* & *Gebhardus*  
sortiti sunt *Hilpoldstain*, *Conradus* autem *Er-*  
*bo* atque *Bertha Biburg*. Alij duo fratres *Eber-*  
*hardus* & *Meginvvardus*, sacris initiati erant,  
ille *Canonicus Bambergensis*, ac deinde mo-  
nachus *Prufelingensis*; hic veteris *Capellæ*  
*Ratisbonensis* *Præpositus*. Quatuor alij filij  
*Otto*, *Magnus*, *Albertus*, *Hazilo*, ante obitum  
parentum ex hac vita migrarant. nam *Henri-*  
*cus* ille superior vndecim liberos ex *Bertha*  
sua coniuge progenuit, decem mares, & vnam  
femellam *Bertham*.

Proximo deinceps anno, nimirum 1125.  
*Cunradus Erbo*, & *Bertha*, consilio & auxilio *S.*  
*Ottonis*, *Episcopi Bambergensis*, de suo pa-  
trimonio *benedictinis* viris & feminis cœ-

nobi-



nobium, item pauperibus atque egenis Xenodochium ædificare cœperunt, & octauo anno compleuerunt, hoc est, anno 1131.

Quo etiam anno in die Simonis & Iudæ, *Otto* Bambergensis Episcopus, & *Henricus* Comes de Vvolffratshausen, cognatus Berthæ, vxoris Henrici superioris, Pontifex Ratisbonensis, templum Biburgense consecrarunt. *Eberhardus*, monachus Prufelingensis, eo tempore frater fundatorum fit Abbas; frater eius *Vlricus de Stain*, Aduocatus, qui cum vxore Halica & filio Burchardo villam Perchach dono dedit monasterio. Innocentius secundus, Pont. Max. comprobauit hanc fundationem, & diplomate confirmauit.

D. *Eberhardus*, primus Abbas, Canonicus bambergensis, deinde monachus à D. *Ottone*, Episcopo bambergensi, translatus in Prufeling, mansit ibi vsque ad consecrationem monasterij à fratribus suis conditi, cui ipse præfuit annis tredecim. Deinde *Cunrado* primo Archiepiscopo Salisburgensi, de Abensperg oriundo, cognato ac vicino suo in Episcopatu successit, electus anno 1147. Præfuit annis septemdecim, obiitque anno 1164. sepultus in maiori Ecclesia, vbi adhuc religiosè colitur. Sic *Hundius* in  
Metropoli Salisburgensi.



# CAPVT LXXXV. FLIDERBECANVM,

*Seu Vlrbacense cœnobium, olim extra, nunc intra muros vrbis Louaniensis.*

**H**uius cœnobiij auctor fuit Godefridus, eo nomine primus, cognomento Barbatus, Dux Lotharingie & Comes Louaniensis, de cuius initijs ac progressu Chronographus Affligemiensis audiatur: Iste locus traditus fuit monasterio Haffligemiensi à Godefrido Louanensium Comite, vt ibidem cella construere-  
tur, & monachi ponerentur. Deinde vsum tam in siluis, quàm in pascuis & aquis, fratribus ibidem annuit, atque à telonio & omni exactione eos liberos fecit. Datum anno Domini millesimo centesimo vicesimo quinto, & confirmatum ab eodem, anno millesimo centesimo tricesimo octauo.

An. 1125.

An. 1147.

Idem locus ab Henrico Leodiensi Episcopo nobis confirmatus est anno Domini millesimo centesimo quadagesimo septimo, anno Præsulatus eius tertio, & ab Eugenio Papa tertio anno Pontificatus eius quarto, Domini millesimo centesimo quadagesimo octauo. Diuisum est autem hoc monasterium ab Haffligemenfi cœnobio, cum consensu vtriusque conuentus, sub certis conditionibus, anno Domini millesimo centesimo septuagesimo

mo ter-



mo tertio, Indictione sextâ. *Hactenus ille.*

*Fliderbecanum itaq; cœnobium primitus non nisi cella seu Præpositura, vt vocant Hassligemiensi monasterio annexa existit.* Primusque eius loci Præpositus N. à Godeschalco Abbate Affligemiensi, anno millesimo centesimo quinquagesimo octauo, est constitutus. Cuius successor Arnulfus, N. Lotharingæ & Brabantiaë Ducerogante, ipsis indulgit, vt Abbatem sibi, sed ex Affligemiensium monachorum cœtu, deligerent, Demùm prædijs cœnobij paulatim imminutis, Alexandri I V. Pont. Max. iussu Vlidentacenses ab omni subiectionis iure, quo Affligemiensibus erant obnoxij, an. 1259. sunt absoluti, concessumque vt Abbatem suo è corpore adsumerent.

An. 1158.

An. 1259.

Porro Bursfeldensis Capituli reformatio apud Vlidentacanos introducta est per N. S. Iacobi Leodicensis Abbatem, & Sedis Apostolicæ Commissarium, Ioannes Langrodij Abbatissæuo, qui an. 1484. creatus Abbas, an. 1519. viuere desijt. Ioanni Langrodio successit alter Ioannes Panhusius, qui primus infulam seu mitram à Rom. Pontifice impetrauit, obiitque an. 1543. Fuit cœnobium istud olim dimidio ferè milliari à muris Louaniensibus situm, quod cum anno 1572. Sept. 25. prope modum in cineres ab hæreticis redactum esset, Vlidentacanis Louaniense Beggardorum cœnobium, anno 1590. Apostolicâ & Regiâ auctoritate est concessum; Beggardis qui supererant, Benedictinum institutum ample-

Y 5

cten-



ctentibus. Hæc fere Ioannes Bapt. Grammaius, vir eruditus, ex eius loci monumentis nobiscum communicauit; cuius & Brabantie historiam, plura qui uolet, legat.

**DIPLOMA GODEFRIDI**  
**EO NOMINE PRIMI, DVCIS**  
**Lotharingæ & Comitis Loua-**  
**nienfis,**

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego Godefridus Dei ordinatione, Dux & Marchio Lotharingæ, atque Comes Louanix, omnibus fidelibus cælestes mercari diuitias. Considerans omnem mundi gloriam instar fluminis raptim præterfluere, & omnes amatores suos subito inanes & vacuos relinquere, utile mihi fore perspexi, & necessarium, ut de diuitijs, diuinâ mihi largiente bonitate concessis, aliqua seruis Dei viuens impartirer, quæ moriens integra inuenirem. Locum itaque quemdam Fliderbeca appellatum, ab omni potestate, tam mea, quàm Ecclesiæ Louanienfis, liberum, beato Petro Hassligemienfis Ecclesiæ (sicut moris est Principibus) cum omnibus pertinentijs suis liberè tradi, ut Abbas Hassligemienfis cellam ibi, Dei & meâ meorumque opitulatione, exstrueret, monachos poneret, qui die noctuque pro mea, meorumque salute Deo supplicarent. Ut autem firma pax & concordia, inter clericos & monachos, sicut decet, inuiolabiliter perseue-

ret.



ret, ex vtraque parte immutabiliter decretum est, ne altera pars quidquam, quod iuris sit alterius partis, sibi vsurpet. Aduocatus vero loci erit, quicumque Louaniæ Comes fuerit, qui Aduocatum alium pro se numquam constituet, nec de Aduocatia illa aliud beneficium exiget, aut recipiet, nisi deuotas à fratribus orationes, & æternam à Christo remunerationem. Præterea omnem ysum tam in siluis quam in pascuis, & aquis meis, fratribus libenter annui, & vt à telonio, & omni huiusmodi exactione, in omni loco mei iuris, perpetuò sint liberi. Vt autem hæc traditio nostra firma & inconuulsa perseueret, præsentem paginam sigillo meo signaui, & idoneis testibus, quorum subscripta sunt nomina confirmaui. ¶ Signum Meuronis Decani S. Richesonis Scholastici, S. Euerardi. S. Ioannis & Henrici de Bierbeke. S. Henrici de Landen. S. VVilhelmi de Becheuoort. S. Arnulfi de Oppenthorp. Datum est hoc Louaniæ anno incarnationis

CIC. CXXV.

{:o:}



CAP.



CAPVT LXXXVI.  
GERARDI-MONTENSE  
S. HADRIANI  
*Cœnobium, in Flandria.*

An. 1095.

An. 1110.  
M. yerus  
in annal.  
Flandria.

**F**uit hoc cœnobium primò situm ac fundatum in vico quodam Decliuio, seu Decliuim nūcupato, per Manassē Episcopum Cameracensem, circa annum millesimum nonagesimum quintum; sed consentiente Manassē Archiepiscopo Remensi, eiusque Coëpiscopis, propter loci angustias à Decliuio ad Gerardi montem translatum est, anno millesimo nonagesimo sexto, petente id Roberto Hierosolymitano Flandriæ Comite, & Hinricboldo eiusdem opidi Castellano. Hæc nobiscum R. P. Hieronymus Moncaius, eius loci Abbas, Francisci MoncaI viri scriptis editis clari frater, communicauit. Ceterum Gerardi-mons opidum est Flandriæ, ad quod S. Hadriani, martyris Nicomediensis reliquie ex Raulcuria Hannoniæ pago, ab Eubaldo sacerdote, anno millesimo centesimo decimo, sunt translata. Quae quidem reliquie hoc in cœnobio hodieq; adseruantur, tantoq; piorum hominum concursu frequentantur, vt & cœnobium & opidum ipsum S. Hadriani cognomen a ferè innotescant.

(::)

CAP.



## CAPVT LXXXVII.

*Anhusium corruptè & vulgò Anhusium in  
d. Augustana.*

**D**istat hoc monasterium quarto millia-  
ri ab Vlma Sueuorum metropoli, &  
constructum est in honorem S. Martini  
Episcopi à *Manogoldo* Comite Palatino Tu-  
bingensi eiusque filijs, *Gualtero* Episcopo Au-  
gustano, *Mangoldo*, *Adalberto* & *Vdalrico* Co-  
mitibus, sub annum Christi 1125. vt tradit  
Gaspar Bruschijs in Chronologia monaste-  
riorum Germaniæ.

1125.

Est & Anhusium coenobium monachorum  
Ordinis Benedictini in Marchionatu Brande-  
burgensi fundatum anno Christi 958. in d.  
Aureatensi, ab *Ernesto* Comite de alto Tru-  
hendingen eiusque Sororio *Hartmanno* Baro-  
ne de Lodenburg.

958.

*ASPACHENSE monasterium, vulgò  
Aspach, in Bauaria.*

**E**st istud coenobium fundatum à *Christia-  
na*, vidua *Geroldi* Comitis, consecratum  
ab *Ottone*, Episcopo Babenbergenfi anno  
1127. Auentinus in Annalibus suis ponit, *Ge-  
roldum* & *Christinam* coniugem prætorium  
suum Benedictinis tradidisse. Pertinebat au-  
tem hoc monasterium iure Aduocatiæ, ad di-  
tionem

1127.

tionem



tionem *Fraunstein* & *Ering*, quæ olim ad Ecclesiam *Bambergensem* spectabant. Vnde superioribus annis, tempore *Villelmi* & *Ludouici*, Ducum *Bauariæ*, Episcopi *Bambergenses* prætendebant nescio quæ iura ad istud monasterium, volebantque Prælatos iura temporalia & Episcopis in feudum recipere annuamque pensionem soluere. Sed renuebant Princepes, & sub sua ditione ac protectione sicut ipsorum antecessores, retinuerunt. Ita *Huedius*.

## CAPVT LXXXVIII. S. ODOLPHI STAVRIENSE

*Monasterium, in Frisia Occidentali.*

*Vita S. Odolphi exstat apud Surium*

*Ta. 3. Iunij 12.*

*An. 830.*

**C**oenobium istud institutionem suam debet *B. Odolpho* presbytero, *Orscoti* in *Campania Brabantica* nato; qui cum esset *Canonicus Ultraiectensis*, in *S. Saluatoris basilica*, à *B. Frederico*, eius urbis Episcopo, apud *Frisios* prædicante, circa annum Christi octingentesimum tricesimum, in *Frisiam*, ad hæresim *Arianam*, quâ tunc ea provincia laborabat, extinguendam, & *Catholicam* religionem propagandam, est euocatus. Itaque *B. Fredericus* ad suos rediens *Stauriensem* *Odolpho* Ecclesiam gubernandam commisit, qui ea in urbe, tum celeberrimo *Frisiæ* emporio, insigni clericorum, seu *Canonicorum* coenobium instituit. *Canonicorum*, inquam,



quam, cœnobium, non regularium propriè, ut hodie loquimur, sed liberè, & sine professione, intra claustrum tamen, in communi, secundum regulam, sub Episcopi obedientia viuentium, Tale enim constat ab ipsis initijs fuisse Vltraiectinum sancti Saluatoris monasterium, in quo s. Odolphus est institutus. Hæc ferè Molanus in *Natalibus Sanctorum Belgij*, & in *lib. de Canonicis*.

A motis però ob liberiores vitam Canonicis, Andreas Cœquësis. X X V. Episcopus Vltraiectinus, Benedictinum sexus vtriusq; cœtum Ostbrucano cœnobio tum florentissimo euocatum, substituit. Qua de re Ioannes Becanus in manuscriptis Vltraiectinæ Ecclesiæ Chronicis: Præsul, inquit, Andreas amouit duodecim presbyteros Staurienses propter eorum demeritum, adducens ibidem ab Oestbroeck vtriusque sexus conuentuale collegium. Videturq; Becanus id referre ad annum Christi millesimum centesimum tricesimum secundum, aut quartum. Ioannes tamen Leidanus in manuscripto suo Hollandiæ Chronico signanter ait, Andream Præsulem paucis diebus ante mortem suam id fecisse. Obijt verò Andreas anno 1138.

Fuit autem hoc cœnobium primò situm extra muros vrbis Stauriensis ad Occidentem quod hostili incur su vastatum, inde in urbem à Frederico Vltraiectensi Episcopo anno 1415. sine, ut alij volunt, anno 1419. est translatus.

Quidam  
notant id  
factum  
an. 1132.  
in festo Pē-  
tecostes.

An. 1138.

CAP.



## CAPVT LXXXVIII.

*S. Aegidij monasterium, apud Noribergam.*

1140.

**E**Rectum est hoc monasterium anno Christi 1140. à *Conrado II. Imp. Sueuorum* duce.

*S. Viti monasterium, in d. Salisburgensi.*

1171.

1171.

**F**Vndauit id *Diethmarus* comes de *Leonberg* ac *Lungionum*. *Leonberg*, nunc *Leonberg* arx est inferioris *Bauariæ*, quam *Isara* præterfluit, *Lungionum* *Charihorum* pagus est ultra *Taurum* montem, vulgariter *Im Lungau*. *Diethmarus* filius fuit *Babonis* comitis *Abenspergensis*, prole 32. filiorum inclyti. Hic *Diethmarus* inferiori *Bauaria*, ad amnem *Rot*, in loco qui *Elsenpagen* dicitur, instituit monasterium pro *Benedictinis*; translatus deinde anno 1171. per huius filium aut nepotem *Volframum* comitem de *Dornberg*, ad montem *S. Viti*, prope vicum *Neumerckt* (vnde hodie *S. Viti* monasterium dicitur) idque cum consensu *Adalberti* *Salisburgensis* Archiepiscopi & *Henrici* Abbatis *Ellenpæcensis*; quia locus hic multò commodior erat monasticæ quieti ac deuotioni. Hactamen legē, vt in *Elsenpacensi* Ecclesia nihilominus duo vel plures fratres ad exsequenda ibi diuina officia permanerent.

Astipulati sunt huic translationi *Eberhardus*

duſ



du de Iulbach, & Henricus de schauberg,  
prædicti Vvolframī vxoris fratres, ad quos  
aduocata eius loci spectabat, qui aliquot  
prædijs & alijs adminiculis monasterium iu-  
uarunt. Ita Hundius.

*Vrsinium siue Irsingum, in Germania.*

**V**Rsinium vel (vt nunc corruptè dicitur)  
*Irsingum*, olim castrum eo ipso loco  
conditum, vbi hodie S. Stephani templum in  
editiore colle conspicitur, nunc verò mona-  
sterium ordinis Benedictini amplissimum ac  
pulcherrimum, paululum infra Khauffburni-  
um oppidum Imperiale, non procul à Vver-  
tathio amne, in medijs densissimisquē nemo-  
ribus situm: fundatum & locupletatum est  
anno Christi 1182. regnante *Friderico Barba-*  
*rossa*, Sueuorum Duce, & Imperatore, ab *Hen-*  
*rico* Marchione de Rumsperg & eius filijs  
*Godefrido* ac *Bertholdo*, & *Irmelgarde* filia, in  
media Ecclesia ibi sepultis, cum tali inscri-  
ptione:

1182.

*Hic generosorum feliciter ossa quiescunt.*  
*A Rumsperg Comitum Bertholdi, & God-*  
*federici*

*Irmelgarde simul dilecta cumq; sorore,*  
*Huius cœnobij qui primi ritè fuerunt*  
*Auctores, vera commoti relligione.*

*Ergo Deo viuant æterna pacē fruentes.*

Z

Henr<sup>i</sup>



Henricus fundator profectus cum Friderico Barbarossa ad recuperandam terram sanctam, obiit Neapoli anno Christi 1188. qui exceperat ex Vdilhilde coniuge Godefridum primum filium, qui mortuus est Augustæ sub cura medicorum, & reuectus inde ad Vtenburram, ibi honorificè est sepultus; postea ex Vtenburra ad Vrsinense monasterium relatus vnà cum fratre Bertholdo honorifico mausolæo conditus est, sub Abbate eius loci XXIII. Paulo Neccharo. Secundus Henrici filius fuit Bertholdus, qui obiit in quodam conflictu prope Rhenum. Irmelgardis autem filia nupsit Baroni cuidam de Vltimis, genuitque Vdalricum de Vltimis, magnum in primis Vrsinensis coenobij benefactorem, habitantem in Adelburgo Athesinæ regionis castro.

## CAPVT LXXXIX.

*Seon siue Seun, monasterium in Germania.*

**E**st illustre monasterium *Sein* in valle *Sein*, prouinciæ Treuerensis, conditum ab Henrico Comite de Sein, quod confirmauit Ioannes Archiepiscopus Treuerensis. anno 1202.

1202.

Aliud à Seienfi monasterio, est Bauaricum monasterium *Seon* siue *Sevym* vel *Sevven*, secundum vetera diplomata nuncupatum, & fundatum ab *Arbone* Comite Damasiano ac Andecensi, qui in Bauarica Norica, non pro-

cul



cul à Chiemenſi lacu, Burgilium caſtellum ſuum in templum vertit, D. Lamperto dedicauit, tradiditque Benedictinis monachis. Incolæ à lacubus, qui ibi ſunt frequentes, vocant *Socum*. Henricus Sanctus, hoc & alia monaſteria largiter locupletauit.

Ulricus Abbas Seunenſis & conuentus elegerunt Ludouicum Palatinum Rheni, Ducem Bauariæ in Aduocatam & protectorem ſuum vigore priuilegiorum ſuorum, tam Pontificiorum quàm Imperialium, ita vt poſt illius obitum ſiue pater, ſiue alij ipſius proximi agnati eandem aduocatiam irreuocabiliter tenerent, alij verò nemini eandem concederent, monaſterij priuilegia & iura defenderent. Extat latinum diploma, datum anno 1247. Ita Hundius.

*Munichmunſteriſe Monafterium, in Bauaria.*

**I**ſtud monaſterium ad Danubium infra Vohburg fundauit Drepoldus Marchio de Vohburg, huius nominis quartus, qui duo inſuper alia monaſteria, *Reichenpach* & *Vvaldſaſſen*, fundauit: ſecundum Laurentium Hochvart, in Catalogo Epiſcoporum Ratisbonenſium.

Hoc monaſterium olim ab Vgris exuſtam, Henricus nonus, Dux Bauariæ & Deipoldus Vohburgenſis Marchio, pro Benedictinis monachis inſtaurarunt: vt ſcribit Auentinus.

Ludouicus Dux Boiariæ confirmauit huic



1264.

monasterio parochiam in Moching, quæ antiquitus huc pertinebat. In illis literis nominat Arnoldum Ducem Boiariæ tyrannum, propterea quod monasterium magnis malis adfecerat. Testes Albertus Lenzmannus, Albero de Prugperg, Hadmarus de Laber, Meinhardus Comes de Roteneck, Vvinhardus de Rorbach, Otto & Vlricus fratres de Lapide, Albertus Schilvvaz, Iordanus de Starzhausen, Otto de Vverd, Dietricus de Sanderstorf, Berchtoldus de Vvackerstein, Marquardus de Gruenharzhouen, Henricus & Vlricus, fratres de Otling, Vlricus Marschalcus dictus de Perge, Conradus de Munster. Datum Ilmendorf anno 1264.

Exstitit in hoc monasterio liber antiquissimus in membranis cõpactus, in quo descriptæ sunt vitæ Sanctorum, à Paschasio è Græca lingua in Romanam translata. Item Hilarion D. Hieronymi adeò antiquis litteris, ut lectori repuerascendum, & ad prima elementa redeundum sit. In fine hæc verba leguntur: *Hic liber fuit inchoatus in Hunia in exercitu, anno Domini 918. IV. Non. Iunij, & perfinitus apud S. Florianum, pridie Idus Septembris in hebdomada quinta decima.* Meminit Ioannes Auëtinus lib. Annalium 4. quem post diligentem inuestigationem anno 1580. ibi non reperi; puto autem translatum esse Monachium ad bibliothecam Ducalem vnâ cum quibusdam alijs libris.

Ita Hundius in Metropoli sua Salisburgensi.

CAP.



## CAPVT XC.

*S. Nicolai de Arenis monasterium, in  
Sicilia.*

**F**uit hoc monasterium olim extra, nunc  
intra urbem Catanensem situm: à quo  
nomen olim habuit Congregatio S. Ni-  
colai de Arenis circa annū Christi 1300. Sed  
desijt ea anno 1506. quando dictum Catanen-  
se monasterium, cum alijs quinque, Congre-  
gationi Cassinensi accessit.

1300.

## CAPVT XCI.

*Etalense monasterium, vulgò Etal in d.  
Frisingenſi.*

**I**mp. Ludouicus quartus (vt habet historia  
monasterij, sed Ioannes Auentinus in An-  
nalibus suis, lib. 7. non meminit historię  
ſequentis, fortè non ſatis fide dignę,) cum  
propter nimias impensas, quas in Italia fece-  
rat, ita vt ei iam neceſſarij ſumptus pro reditu  
in Germaniam deſicerent, admodum ſollici-  
tus eſſet, veniente quadam die ad ſe monacho,  
& ſpem facienti, illum ex his malis emerſu-  
rum; ea conditione, ſi poſtquam in Germani-  
am rediſſet, monaſterium in loco ſuę diti-  
onis, *Ampherang* dicto, in honorem Dei &  
beatiffimę virginis Marię extrueret; fidem

Z 3.

dedit,



dedit, se illud sedulo exsecuturum, & coenobium in prædicto loco conditurum. Quamobrem illico à quodam Regulo Italiae, quem vnà cum ditione sua libertatis iure donauit, magnam pecuniæ vim accepit; ita vt oppignorata omnia redimere posset: In Germaniam itaque reuersus, in *Partenkirchen* à quodam venatore, Henrico *Vend* nomine, exceptus est, ex quo de loco illo *Ampherang* quæsiuit. Cumque ille in vicinia iam esse diceret, eoque Imperatorem deduceret iussit Imperator illic ligneam domunculam pro venatore ædificari, siluamque olim latronum receptaculum extirpari, & ita monasterium, quod promiserat erigo, in honorem B. Mariæ Virginis, posuitque primum lapidem simul quoque offerens effigiem B. Virginis ex alabastro factam, quam illi monachus in Italia dederat, quæ vsque hodie adhuc ibi ostenditur in die Vitalis Martyris, anno 1330. Instituitque Abbatiam S. Benedicti pro 20. monachis, quorum 14. sacerdotes esse deberent. Primus Abbas ex monasterio Reichenpach hîc positus, nomine Fridericus Heinrichcenter. Ita Hundius.





ANDECHENSE Monasterium, vulgò  
Auff dem Heiligen Berg Andech, in  
Bauaria.

**L**vdouicus, Boiariæ Princeps, pater Lu-  
douici Imperatoris, *Andechs* ædem, quæ  
cum arce ante quinquaginta annos diruta  
erat, refecit. Vide Comites Andecenses, &  
tractatum singularem de fundatione & sacris  
reliquijs Andecensibus impressum: item Vi-  
tum Arnpeck in Chronicis Bauariæ. Anno  
1388. sacra, quæ ibi diutius sub terra latuere,  
(hinc mons *Andechs* sacer appellatus) à Iaco-  
bo Dachauer Franciscano reperta, iussu Prin-  
cipū Monachiū translata sunt, ibidemq; ostē-  
sa populo: postea ad montē sanctum *Andechs*  
relata sunt per Ernestum Ducem, qui ibi col-  
legium pro septem mystis instituit. Albertus  
Dux Bauariæ, Comes Vochburgensis, filius  
Ernesti, auctoritate Summi Pontificis amotis  
Præposito & Canonicis secularibus, ibi  
substituit monachos Benedi-  
ctinos. Ita Hun-  
dius.

1388.





## CAPVT XCII.

*Monasterium S. Iustinæ de Padua, caput Congregationis Italica, quæ nunc Cassinensis dicitur.*

1408.

1504.

**L**udouicus Barbo, natione Venetus, fuit primum Prior monasterij S. Georgij de Alega, quod est Canoniorum secrearium Ord. S. Augustini apud Venetos. Anno 1408, creatus postea Abbas coenobij S. Iustinæ de Padua, à Gregorio XII. Papa, mox de reformando ordine monastico cogitare coepit, à suo monasterio Paduano exorsus. Vnde natum mox nomen Congregationis seu Unionis S. Iustinæ de Padua, quæ nunc Cassinensis dicitur ob reuerentiam illius archimonasterij, quod anno 1504. à Iulio II. Papa Congregationi S. Iustinæ incorporatum fuit, ea lege vt deinceps Congregatio Cassinensis dicitur. Ceterum Ludouicus Barbo, tandem ab Eugenio IV. quamquam inuitus, factus Episcopus Turnisinus, obiit anno. 1443. in suo monasterio Paduano conditus.

Ceterum monachi huius Reformatæ Congregationis à carnibus perpetuo abstinent, nisi ægri sint. Eorum Generales seu Præsidentes non perpetui, sed annales sunt.

(:.)

Cat. 4-



*Catalogus monasteriorum Abbatialium Congregationis Cassinensis, aliàs S. Iustinae de Padua.*

**M**onasterium S. Iustinae de Padua.  
Monasterium S. Fortunati, iuxta Bas-  
sanum.

S. Mariae de Carupta, in diocesi Veronensi.

S. Iacobi de Agriano, ibidem.

Monasterium de Tortona.

S. Nicolai de Buschetto, in districtu Genuensi,  
ad unionem accessit anno 1417.

S. Spiritus de Papiæ, an. 1417.

S. Benedicti de Padolirone, in agro Mantu-  
ano.

S. Pauli de Roma, an. 1425.

S. Sixti de Placentia, an. eodem.

S. Georgij Maioris, de Venetijs, 1429.

S. Petri Mutinense monasterium, an. 1434.

S. Mariae Florentinum 1436.

S. Petri Perusinum, anno eodem.

Ingeffati Mediolanense, anno eodem.

S. Proculi Bononiense, anno eodem.

S. Seuerini Neapolitanum, anno 1438.

S. Angeli Caietanum; anno eodem.

S. Nazarij Veronense, anno 1443.

S. Eugenij Senense, anno 1447.

S. Mariae de Pratalea, anno 1448.

S. Mariae de Pera, apud Constantinopolim,  
an. 1449.



- S. Columbani Bobiense, in Insubria, anno eodem.  
S. Saluatoris Papiense seu Tirinense, an. 1451.  
S. Nicolai de Littore, Venetijs, anno eodem.  
S. Mariæ de monte, prope Ceseam, anno 1453.  
S. Euphemix Brixienfe, an. 1457.  
S. Petri de Sauliano, an. 1459.  
S. Hieronymi de Siluaria, an. 1460.  
S. Fuliani de Albario, an. eodem.  
S. Benigni, Genuense, an. eodem.  
S. Mariæ de Maguzano, an. 1462.  
S. Fortunati de Vincentia, an. eodem.  
S. Mariæ Lachromæ, iuxta Ragusium in Dalmatia, an. 1466.  
SS. Floræ & Lucillæ, de Aretio, anno 1474.  
S. Vitalis Pauennense, an. 1476.  
S. Ioannis Euangelistæ, Parmense, anno 1477.  
S. Bartholomæi, Astense, an. 1479.  
S. Benedicti Maioris Ferrariense, anno eodem.  
S. Prosperi de Rheigo, an. 1481.  
S. Michaëlis de Caueso, an. 1484.  
S. Iacobi de Pontida, an. 1487.  
SS. Faustini & Ionitæ Brixienfe, anno 1491.  
S. Mariæ de Pomposia, Ferariæ, anno 1492.

S. Tri-



S. Trinitatis, Cauæ, an. 1495.

S. Pauli de Argon, iuxta Bergianum, anno 1494.

S. Benedicti monasterium in Monte Cassino situm Iulius II. Papa anno 1504. vniuit cum Congregatione S. Iustinae de Padua. Ob cuius reuerentiam voluit eam Congregationem deinceps vocari Cassinensem, quæ antea S. Iustinae de Padua vocabatur.

Anno 1505. die 12. Ianuarij Patres congregationis Paduanæ monasterium Cassinense solemniter intrarunt, suntque in eo centum monachi collocati sub Abbate Eugenio Mutinensio.

Anno 1506. Congregatio Sicula, quæ vocabatur S. Nicolai de Arenis, & sex monasteria complectebatur, vnita est cum Congregatione Cassinensi, aliàs S. Iustinae de Padua, per Iulium II. Papam. Sunt autem ista sex monasteria.

S. Nicolai de Arenis monasterium, tunc extra, nunc intra urbem Messanensem, Congregationis Siculae olim caput.

S. Martini de scalis, Panormi.

S. Placidi, extra Messanam.

S. Mariæ de Monte Regali.

S. Mariæ de Gangis.

S. Mariæ de Fondrono.

Anno 1513. S. Catharinae Genuense

mona-



monasterium accessit Congregationi Cassinensi.

S. Laurentij Auerfanum, anno 1514.

S. Mariæ de Gratijs, in diœcesi Placentina, anno 1515.

SS. Benedicti & Scholasticæ monasterium Sublacense, siue de Sublaco, anno 1516.

S. Honorati monasterium Lerinense, in regni Galliæ prouincia, anno eodem:

S. Simpliciani Mediolanense, anno 1517.

S. Mariæ de Ponte viuo, anno 1520.

S. Mariæ de Farfa, anno 1567.

S. Benedicti Castrouillarum, an. 1577.

S. Mariæ de Andria, anno eodem.

Monasterium S. Mariæ de Calatauixetta, quod est opidum siciliæ, haud procul à Naro opido.

### CAPVT XCIII.

*S. Benedicti monasterium in vrbe Vallisoletana, in regno Castella.*

1520.

**R**Eformatę Congregationis in Hispania, quæ ab hoc monasterio *Vallisoletana* nūcupatur, primarius auctor extitit circa annū Christi 1520. *Gasias Cisnerus*, monasterij S. Mariæ in Monteferrato Abbas, in districtu Barcinonensi. Scripsit is inter alia *Exercitatorium vite Spiritualis*, in 69. capita partitum, varijsque locis sine nomine auctoris editum: quem-



quem librum Soc. Iesu Patres in primis commendatum habent. Obijt Cisnerus circa an. Christi 1540. Ceterum monasterij huius Vallisoleteni auctor exstitit Ioannes I. Castellæ Rex, vtpote qui veterem arcem in monasterij Benedictini formam conuertit; teste Ioanne Mariana in historia Hispaniæ. Obijt autem Ioannes Rex anno 1390.

## CAPVT XCIV.

## HVLSBERGENSE

*Monasterium, apud Hattemum Geldriæ  
opidum.*

**F**Ratrum, seu Clericorum Hieronymianorum in communi viuentium Ordo, à Gerardo Magno Dauentriensi, anno circiter millesimo trecentesimo septuagesimo nono institutus, illustrium virorum, & gymnasiorum, in quibus & iuuentutem optimis & moribus & litteris imbuebant, copiâ apud Germanos, Belgasque ad nostram vsque atatem, mirificè floruit. Inter illustres viros fuere Gabriel Bielius, celebris apud Tubingenses Theologus, Gerardus Sutphanus, scriptor asceticus, Christianus Massæus, Georgius Macropedius, alijque plurimi, à Thoma Kempensi, & à nobis alibi commendati. Inter gymnasia fuere apud Belgas, seu Germanos inferiores,

An. 1239.



An. 1525.

riores, Dauentriense, Hulsbergense, Groningense, Vitraiectinum, Bruxellense, siluiducense, Gandense, Cameracense & alia. Ad Hulsbergense quod attinet, situm illud fuit in Velania apud Hattenum, munitum Geldriae opidum, quod Isala fl. impositum quarto distat à Dauentria milliari. Quod quidem cœnobium, Henrico Bauaro, Vitraiectensi Episcopo consentiente, à Carolo Egmundano Geldriae Duce bellicosissimo, & Catholicae religionis augendæ, atque aduersus hæreses, id temporis exsurgentes, stabilien-  
da studiosissimo, anno millesimo quingentesimo vicesimo quinto, die VII. Maij, in monasterium ordinis S. Benedicti est commutatum. Abbas vero eius loci primus, anno eodem, XIII. die mensis Maij, electus est Paullus Becanus, presbyter, & Benedictini instituti vetus affecla, monachis aliquot aliunde euocatis.

Porro fratres Hieronymiani, cum indicta causa monasterio sese pulsos quererentur, defuncto Carolo Duce, postliminiò pristinum in locum sunt restituti.

## CAPVT XCV.

S. Benedicti monasterium Olisiponense, in Portugallia.

**E**st hoc monasterium in vrbe Olisiponensi an. 1566. exstructum, à quo reformata

Lusi-



Lusitanæ Congregatio, nomen s. *Benedicti de Olisipona* accepit. Cuius quidem congregationis primus auctor fuit *Iacobus de Murcia* Ordinis S. Hieronymi, & S. Nicolai in Portugallia Abbas commendatarius, qui anno 1549. obtenta à Paulo III. facultate Ordinem Benedictinum ad veterem disciplinam reuocauit. Reformationis suæ fundamenta iecit Conimbricæ, in qua vrbe an. 1555. nobile monasterium excitauit, & iuuenes duodecim sub regula S. Benedicti alendos atque institutendos collegit: qui postmodum virtute ac doctrina crescentes congregationem istam admodum illustrem reddiderunt.

Fauit huic sacro instituto in primis *Sebastianus* Portugalliæ Rex, & *Henricus* Infans S. R. E. Cardinalis, qui an. 1566. à Pio V. Facultatem impetrarunt, Abbacias Portugalliæ vacaturas huic nouellæ congregationi adiungendi.

Idem anno eodem in vrbe Olisiponensi, regni totius metropoli amplum ac magnificum S. *Benedicti* Cœnobium à fundamentis excitauit; & ab eo congregationem istam S. *Benedicti de Olisipona* nomen trahere voluerunt.

1540.

CAP.



## CAPVT XCVI.

*Melidæ insula monasterium in Dalmatia.*

1560.

**I**Vxta Ragusium Dalmatiæ opidum, Republicâ libera nobile visitur insula nomine *Melida* & monachorum in ea Benedictinorum cœnobium. Ab isto congregatio reformatâ *Melidæ* nomen habet, quæ circa an. Christi 1560 incohata est à *Chrysostomo* monacho Cassinensi & postea Archiepiscopo Ragusino: vt tradit Arnoldus Vvionus lib. 5. Ligni

vtiæ cap. 11.

{:o:}



F I N I S.

INDEX





# INDEX.

A.

204

**A** Etlense monasterium, in Germania. pag. 291.

S. AEmiliani de Cuculla, in Hispania. 40

Affligenum, in Brabantia. 293

Agaunense monasterium S. Mauriti, apud Helvetios. 43

Alba Augia, in Germania. 329

Alciacum, in Artesia. 275

Altha inferior & superior, in Bauaria. 177

Aldeburgense M. in Flandria. 310

Altimontense, in Hannoveria. 121

S. Amandi, in Flandria. 82

Anderense in Bauaria. 359

Anhusum, in diocesi Augustana. 349

Aquicinctum, in Flandria. 282

S. Arnulfi, in Gallia. 114

Aretinum S. Crucis, in Italia. 272. S. Flora 362

Arremarense, in Gallia. 197

Artesia monasteria, in Belgio. 64

Aspachense M. in Bauaria. 349

Astense S. Bartholomei, in Pedemontio. 362

(.)

Auersa-



# I N D E X.

|  |     |
|--|-----|
| <i>Auersanum S. Laurentij, in regno Neapolitano.</i> | 364 |
| <i>Augia Maior, in Germania.</i>                     | 328 |
| <i>Augustanum S. Vdalrici M. in Germania.</i>        | 256 |

## B.

|  |         |
|--|---------|
| <b>B</b> <i>Ambergense M. in Germania.</i>         | 256     |
| <i>Bantum, in Germania.</i>                        | 277     |
| <i>Belgij monasteria.</i>                          | 61      |
| <i>Benchorense M. in Hibernia.</i>                 | 39      |
| <i>S. Betini, in Artesia.</i>                      | 71      |
| <i>Biburgense, in Germania.</i>                    | 342     |
| <i>Blangiarum, in Artesia.</i>                     | 155     |
| <i>Bobienſe, in Italia.</i>                        | 48. 362 |
| <i>Bononiense S. Procei, in Italia.</i>            | 361     |
| <i>Brabantie monasteria.</i>                       | 62      |
| <i>Brauvveilerenſe, in d. Coloniensi.</i>          | 240     |
| <i>Brixiense S. Euphemia, in Italia.</i>           | 362     |
| <i>Brugense S. Andrea, in Flandria.</i>            | 331     |
| <i>Burenſe, in Germania.</i>                       | 175     |
| <i>Burgense S. Petri de Cardenna, in Hispania.</i> | 5       |
| <i>Burgonium, in d. Constantiensi.</i>             | 325     |
| <i>Bursfeldenſe, in Germania.</i>                  | 337     |

## C.

|   |      |
|---|------|
| <b>C</b> <i>Aietanum S. Angeli, in regno Neapolitano.</i> | 361. |
|---|------|

Came-



# I N D E X.

|   |          |
|---|----------|
| Cameracense S. Sepulcri, in Belgio.                         | 260      |
| Cameracense S. Andrea, in Belgio.                           | 264      |
| Capellensis Prapositura, in vrbe Bruxellensi.               | 262      |
| Campidona, in Germania.                                     | 171      |
| Casale Benedicti, in Francia.                               | 330      |
| Catanense S. Nicolai M. in Sicilia.                         | 357      |
| Cassinense monasterium.                                     | I. & 363 |
| Cassinensis congregationis monasteria per Ita-<br>liam.     | 361      |
| Castellense M. in Palatinatu.                               | 326      |
| Cauense in regno Neapolitano.                               | 264      |
| Cellense in d. Trecensi.                                    | 112      |
| Cluniacum in Gallia.  | 210      |
| Coloniense M. S. Martini Maioris. 239. S. Pan-<br>taleonis. | 238      |
| Complutense in Hispania.                                    | 139      |
| Constantiensis diocesis monasteria, in Germa-<br>nia.       | 326      |
| Constantinopolitanum M. in Gracia.                          | 361      |
| Cormeriacum in Francia.                                     | 107      |
| Crispinium, in Hannonia.                                    | 134      |

## D.

|   |     |
|---|-----|
| S. <b>D</b> ionysij M. in Francia, apud Parisios. | 98  |
| S. Dionysij in Hannonia.                          | 316 |
| S. Dionysij de Nögento Rotrodi.                   | 115 |
| Donauuerdense S. Crucis in Germania.              | 331 |
| S. Dysibodi, in Germania.                         | 335 |

(::) 2

E. Egmun-



I N D E X.

E.

|  |     |
|--|-----|
| <b>E</b> gmundatum M. in Hollandia.    | 105 |
| Eberspergense M. in Germania.          | 231 |
| Eichenbrunnum in Germania.             | 341 |
| Einhamense in Flandria.                | 272 |
| Einsidlense in Germania.               | 204 |
| Elinchum in Germania.                  | 342 |
| Epternacense, in Ducatu Luxemburgensi. | 168 |
| Etalense in Germania.                  | 357 |
| Ethonis M. in Germania.                | 168 |

F.

|                                   |         |
|-----------------------------------|---------|
| <b>F</b> abarium in Germania.     | 174     |
| Ferrariense S. Benedicti Maioris. | 362.    |
| S. Maria de Pomposia.             | 362     |
| Fidemium in d. Cameracensi.       | 293     |
| Fiscanum in Francia.              | 56      |
| Flandriae monasteria.             | 83      |
| Florentinum S. Mariae, in Italia. | 361     |
| Florinense in d. Leodiensi.       | 255     |
| Fontanella in Francia.            | 33      |
| Formpachense in Bauaria.          | 323     |
| Fosvverdense in Frisia.           | 104     |
| Franciae regni monasteria.        | 56. 107 |
| Frisiae monasteria.               | 66      |
| Fuldense M. in Germania.          | 179     |

G. S. Galli



# I N D E X.

## G.

|  |     |
|--|-----|
| S. <b>G</b> alli M. apud Heluetios.      | 69  |
| Gandense S. Petri, in Flandria.          | 78  |
| S. Gennadij testamentum.                 | 147 |
| Genuense S. Benigni. 362. S. Catharina.  | 363 |
| S. Gerardi M. in Comitatu Namurcensi.    | 222 |
| Gerardimontense S. Adriani, in Flandria. | 348 |
| S. Germani de Prate, apud Parisios.      | 128 |
| S. Gisleni in Hannonia.                  | 115 |
| Gladbacense, in Germania.                | 239 |
| Grafrathense in Germania.                | 231 |
| Grandimontense in Francia.               | 267 |

## H.

|                                    |        |
|------------------------------------|--------|
| <b>H</b> ammense in Artesia.       | 314    |
| Hannonia monasteria.               | 64     |
| Hasnonium, in Hannonia.            | 142    |
| Hirsaugiense in Germania.          | 127    |
| Hispania monasteria.               | 8. 210 |
| Hollandia monasteria.              | 65     |
| S. Huberti monasterium, in Belgio. | 140    |
| Hulsbergense in Geldria.           | 365    |
| Hunocurtense, in Francia.          | 165    |

## I.

|  |     |
|--|-----|
| S. <b>I</b> oannis Teruanense, nunc Iprende in Flandria. | 157 |
|--|-----|

(· ·) 3

Irsignum



# I N D E X.

|  |     |
|--|-----|
| <i>Irsingum in Germania.</i>               | 335 |
| <i>S. Isidori de Duennas, in Hispania.</i> | 173 |
| <i>Isnense in Suevia.</i>                  | 327 |

## L.

|  |              |
|--|--------------|
| <b>L</b> <i>Ætienze M. in Hannonia.</i>        | 182          |
| <i>Legionense S. Claudij.</i>                  | 7            |
| <i>Leodiense S. Iacobi. 249. S. Laurentij.</i> | 253          |
| <i>Lerinese in Gallia.</i>                     | 111. 32. 364 |
| <i>Lobtense in ditione Leodiensi.</i>          | 125          |
| <i>Lotharingia monasteria.</i>                 | 93           |
| <i>Luxouienne in Burgundia.</i>                | 47           |

## M.

|   |          |
|---|----------|
| <b>S. M</b> <i>Agni Fuffense in Germania.</i>             | 172      |
| <i>Malharstorfense in Germania.</i>                       | 335      |
| <i>Manseense in Austria.</i>                              | 174      |
| <i>Marchianense in Flandria.</i>                          | 86       |
| <i>Maricolense in Hannonia.</i>                           | 95       |
| <i>S. Martini de Ferran, &amp; de Ihama, in Hispania.</i> | 190.     |
| <i>Mauri monasterium in Germania.</i>                     | 174      |
| <i>S. Mauritij Tholegiense in Lotharingia.</i>            | 93       |
| <i>Mediolanense in Italia.</i>                            | 361. 364 |
| <i>Melidense in Dalmatia.</i>                             | 368      |
| <i>Mellicense in Austria.</i>                             | 341      |
| <i>Messanense S. Placidi in Sicilia.</i>                  | 4        |

Meten-



# I N D E X.

|                                       |     |
|---------------------------------------|-----|
| Metense in Bauaria.                   | 207 |
| Michaëlis Campus, in Lotharingia.     | 334 |
| Mons S. Michaëlis. in Normania.       | 108 |
| Munsteriense in Ducatu Luxemburgensi. | 308 |
| Murbachium in Hannonia.               | 173 |

## N.

|                                     |     |
|-------------------------------------|-----|
| S. <b>N</b> Aboris, in Lotharingia. | 93  |
| Neresheimense in Germania.          | 327 |
| Noribergense S. Aegidij.            | 352 |

## O.

|   |      |
|---|------|
| <b>O</b> Chsenhusium in Sueuia.           | 328  |
| Olisiponense S. Benedicti, in Portugalia. | 360. |
| Ostbroucanum, in d. Vltraieetina.         | 339  |
| Ottensbura in Germania.                   | 189  |

## P.

|   |     |
|---|-----|
| <b>P</b> Anormitanum, in Sicilia.                         | 363 |
| Papiense S. Spiritus, in Italia. 361. S. Saluatoris.      | 362 |
| Parisiense S. Germani de Præis. 28. S. Martini de Campis. | 265 |
| Parmense S. Ioannis Euangeliste, in Italia.               | 362 |
| S. Petri de Estonza, in Hispania.                         | 242 |

(··) 4

S. Petri



# I N D E X.

|   |     |
|---|-----|
| <i>S. Petri de Monte, in Hispania.</i>        | 147 |
| <i>S. Petri in Monte Matrona, in Bauaria.</i> | 333 |
| <i>Petershusium, in Sueuia.</i>               | 238 |
| <i>Polonia monasteria.</i>                    | 258 |

## R.

|   |     |
|---|-----|
| <b>R</b> <i>Agusinum S. Mariae Lachroma, in Dalma-</i><br><i>tia.</i> | 362 |
| <i>Ratisbonense S. Haimerani. 102. S. Iacobi.</i>                     |     |
| <i>201. S. Petri consecrati.</i>                                      | 201 |
| <i>Remense S. Remigij, in Francia.</i>                                | 56  |
| <i>S. Richarij in Francia.</i>  | 35  |
| <i>Romanum S. Pauli.</i>  | 361 |
| <i>S. Romani de Hornisga, in Hispania.</i>                            | 145 |
| <i>Rotense in Germania.</i>   | 278 |
| <i>Rotomagensis S. Andani.</i>  |     |

## S.

|  |          |
|--|----------|
| <b>S</b> <i>Abaguntinum S. Benedicti, in Hispania.</i>             |          |
| <i>207.</i>  |          |
| <i>Salisburgense S. Petri, in Germania.</i>                        | 41       |
| <i>S. Saluij, in Hannonia.</i>                                     | 103      |
| <i>Scharzachium, in Germania.</i>                                  | 196      |
| <i>Schyrense, in Germania.</i>                                     | 280      |
| <i>Scotie monasteria.</i>  | 336      |
| <i>Scotorum monasterium in Germania &amp; Au-</i><br><i>stria.</i> | 201. 341 |

*Sean,*



# INDEX.

|                                 |     |
|---------------------------------|-----|
| Sean, in Bauaria.               | 354 |
| Senense, S. Eugenij, in Italia. | 361 |
| S. Sepulcri, in d. Trecensi.    | 243 |
| Sicilia monasteria.             | 363 |
| Spanheimense in Germania.       | 334 |
| Stabuletum in d. Leodiensi.     | 136 |
| Stauriense in Frisia.           | 350 |
| Sublacense in Italia.           | 364 |
| Suessionense S. Medardi.        | 44  |

## T.

|   |      |
|---|------|
| <b>T</b> Egernseense in Bauaria.          | 236  |
| Thierbantense in Germania.                | 180  |
| Tironense in Francia.                     | 59   |
| S. Toribij de Liebana, in Hispania.       | 6    |
| Tornacense S. Martini, in Flandria.       | 318  |
| Trecensis diacesis monasteria, in Gallia. | 200. |

112.

|  |      |
|--|------|
| Treuerense S. Maria ad Martyres.           | 167. |
| S. Martini. 38. S. Matthia 9. S. Maximini. | 49   |
| S. Trudonis M. in d. Leodiensi.            | 140  |
| Tuitiense M. ex opposito Colonia.          | 241  |

## V.

|   |      |
|---|------|
| <b>V</b> Allis-Caulium, in Francia.       | 270  |
| Vallisoletanum S. Benedicti, in Hispania. | 364. |

(::) 5

S. Ve-



# I N D E X.

|  |     |
|--|-----|
| <i>S. Vedasti M. in Artesia.</i>                                   | II  |
| <i>Venetum S. Georgij Maioris. 361. S. Nicolai de<br/>Littore.</i> | 362 |
| <i>Veronense S. Nazarij, in Italia.</i>                            | 361 |
| <i>Viennense Scotorum M. in Austria.</i>                           | 341 |
| <i>Vinearum M. in Germania.</i>                                    | 190 |
| <i>S. Viti M. in d. Salisburgensi.</i>                             | 352 |
| <i>Vizeliacum, in Gallia.</i>                                      | 57  |
| <i>Vlirbecanum in Brabantia.</i>                                   | 344 |
| <i>Vltraiectinum S. Pauli, in Belgio.</i>                          | 244 |
| <i>VValciodorense, in Belgio.</i>                                  | 213 |
| <i>S. VValerici in Gallia.</i>                                     | 34  |
| <i>VVeichenstephense, in Germania.</i>                             | 257 |
| <i>VVeltenburgense, in Bauaria.</i>                                | 42  |
| <i>VVerdenense, in d. Colonienfi.</i>                              | 195 |
| <i>VVessenburgense in Germania.</i>                                | 68  |
| <i>VVessesbrunense in Bauaria.</i>                                 | 187 |
| <i>VWest-monasterium, in Anglia.</i>                               | 53  |
| <i>S. VVinoci Bergense, in Flandria.</i>                           | 158 |

## Z.

|  |     |
|--|-----|
| <i>Zuifaltense, in d. Constantienfi.</i> | 317 |
|--|-----|

# F I N I S.















































MIRAEI  
Origenes Bone-  
dina

Th  
4919